



1840.

1.





JESOD MORA.

FUNDAMENTUM PIETATIS

VARIAS DISSERTATIONES

DE DOCTRINA MANDATISQUE SACRIS

CONTINENS.

AUCTORE

R. ABRAHAMO IBN ESRA.

PARAPHRASTICE VERTIT

M. CREIZENACH Dr.



FRANCOFURTI A. M.

SUMPTIBUS JOSEPHI BAER.

1840.

Typis Benjamin K ebs.

)

Omnia lucent splendore unius qui non habet initium.
Sublimior est quam qui ore hominis celebrari possit.
Mens sapientis agnoscit creatorem ex operibus ejus;
Nam qui negat illum esse, ipse testimonium praebet.
Populo autem, quem nomini gloriaeque suae creavit,
In monte Sinai ignem flammamque suam monstravit.
Imaginem vero non viderunt. Sed suo legato
Fidelique nuntio dedit legem doctrinamque suam.
At ego humili mente scrutatus sum ejus mandata
Invenique scriptum ejus arcanum et fundamentum.
Aedificabo domum illius legi ut permaneat,
Eamque timori Dei nostri volebam conservare.

AUCTORIS PRAEFATIO.

Ecce librum qui nominatur: fundamentum reverentiae et doctrinae — scripsit Abraham, filius Hispani Meir Ibn Esrae. — Abraham auctor est loquutus — loqui sum conatus, — et pergamus in loquundo, — dum consistamus in solido fundo; — Ita duodecim portas auctor struit, — si annuit Dominus, qui evehit et ruit. —

Ante omnia hoc declaro, hominem nulla alia re super animalia evehi, nisi animo illo alto, ratione praedito et ornato. Hic est, qui revertit ad supremum numen, quo est ortus. Nam in corpus datus est ad hunc finem, ut

PORTA PRIMA.

Inter rerum judaicarum scrutatores nonnulli sunt, quorum omnis scientia versatur in cognoscendis doctrinae massoreticae venerandis notationibus, praeclaris significationibus, locis conjunctis et disjunctis, lectionibus pronuntiandis et scribendis, verbis mancis et plenis, in notandis literis magnis, parvis, suspensis et punctatis, denique in numerandis singulorum librorum versibus, vocibus et literis. Hoc concedendum est, laude dignum esse massoreticorum scriptorum laborem. Sunt custodes circa urbis muros collocati; quorum opera doctrina Dei et libri sacri integram formam retinuere, puram et ab additamentis et a mutilatione. Decet etiam scrutatorem partem quandam illius doctrinae cognoscere; dummodo simul id agat, ut scriptorum sensum intelligat; nam verba sunt corpora, eorumque significationes animi, quos nisi cognoscis, totus labor vanus est, omneque studium inane; similis eris ei, qui librum de arte medica possidet et numerare molitur, quot folia liber contineat, quot lineas

singula folia, quot literas lineae. Tali labore nemo vulneri medebitur. Scrutator massoreticus, qui nullam aliam artem didicit, similis est camelo bombycem portanti; cui neque bombyx, neque ipse bombyci in aliquid prodest.

Alii sunt, quorum studium non extenditur ultra grammaticam linguae structuram, sed continetur notitia formarum conjugationis et partitionum, literarum quae ad verborum radices et quae ad formationem pertineant, nominum, verborum transitivorum et intransitivorum, de quibus multae dantur regulae; scrutantur literas servientes, caetera vocabula et quomodo illorum ope nomina cum verbis conjungantur. Revera haec est praeclara scientia, quam qui habet sermone pedestri et poetico eleganter uti sciet et ipse significationes invenire poterit, — quae regulis linguae saepe aperiuntur, atque etiam jussa quaedam explicare, exempli gratia si dicitur *diliges amicum tuum sicut te ipsum* [1]) (ubi verbum cum objecto per literam *Lamed* conjungitur, omisso signo accusativi Eth); quod invenimus in dicto: *diliges Dominum Deum tuum* [2]). Maxime haec res probatur loco illo, ubi de advena dicitur: *diliges eum*

---

1) Levit. 19, 18. 2) Deuter. 6, 5.

quasi temet ipsum [1] (hic scribitur Lamed); neque objici potest illud: *et vos ergo amate peregrinos* [2]; nam ibi non dicitur: *quasi vosmet ipsos*, at verba referenda sunt ad praecedentia, quod loco suo demonstravimus. Constat quidem, eum qui de rebus judaicis cogitet etiam hujus scientiae aliquid discere debere; sed ne totam vitam consumat in legendis antiquissimi grammatici R. Jehudae scriptis, vel in decem libris R. Menini vel in illis, quos viginti duos conscripsit R. Samuel hanagid; nam de hujusmodi operibus dixit Salomo; *faciendi plures libros nullus est finis* [3].

Alii sunt, qui semper cogitant de pentateucho, de prophetis et hagiographis nec non paraphrasi eorum aramaica, et quod summo cum studio rectum sensum sciscitantur, se summum gradum nactos esse existimant. At sancta doctrina vere est fons vitae et omnium divinarum legum quasi fodina; sed e doctrina scripta nullus indagator ne unum quidem jussum penitus cognoscere potest, nisi comperit explicationem ejus doctrinae, quae ore traditur; nam dicitur quidem de sabbatho: *non facies omne opus in eo* [4]; qui vero nobis explicare possit, quot sint

---

1) Levit. 19, 34. 2) Deuter. 10, 19. 3) Cohel. 12, 12. 4) Exod. 20, 10.

opera primitiva cum eorum derivationibus; porro tabernaculorum mensuras, vel in vendendo quota pars pretii fraudationem efficiat? Communiter omnes leges interpretationem e doctrina patribus tradita requirunt, imprimis constitutio dierum festorum, medione ab novi lunio an a vero pendeant; utrum ab intervallo quo conspiciatur luna, an potius a luna comparente; unde oriuntur variationes maxime discrepantes secundum longitudinem, latitudinem et parallaxin, pro terrae remotione et declinationis circulo, quem describat luna ad dextram vel ad sinistram eclipticae. Porro constituendum est, quo e loco computentur interluniae; nam inter Hierosolymam et hanc insulam (Britanniam) ea est differentia, ut illos plenis quatuor horis ante sol collustret, quod e rationibus astronomicis accuratissime demonstratur. Multae etiam aliae sunt leges, quarum explicationem non e pentateucho, sed e meditatione accipimus, ut si dicitur: ***circumcidite praeputium cordis vestri*** [1]. Alios etiam libros sacros cognoscere utile est, cum nonnisi ex iis leges quasdam intelligamus, ut exempli gratia illud interdictum: ***non comedetis cum sanguine*** [2], Saulis verbis (Sam. I, 4, 34), et illud: ***non***

1) Deuter. 10, 16. 2) Levit. 19, 26.

occidentur patres pro filiis [1]), Amaziae dicto (Reg. II, 14, 6) explicantur; sed parva est utilitas comparata cum labore cognoscendi omnia Israelitarum oppida, judicum et regum historiam, templi primi et olim futuri conditionem, et praesagia de aevis partim jam praeterlapsis, partim futuris, quae non possumus indagare; quorum etiam nonnulla sunt tam obscura, ut in illis explicandis coeco similes ad muros erremus, cum alius aliam tradat interpretationem. Et si sciremus totum psalmorum librum plenum carminum et orationum? quae divina quidem inspiratione canebantur, nullum autem de futuro praesagium includunt! Idem censendum est de Jobe, de libris Salomonis, de scriptis qui vocantur Megilloth et de Esra. Neque cognoscere possumus e libro Daniele, quando venturus sit Messias; nam ipse propheta hoc nesciebat, quod loco suo ostendimus. De his omnibus libris si dies noctesque cogitamus, per eos ad cognitionem praeceptorum Dei non pervenimus, cujus intuitione aeternam felicitatem adipiscimur; itaque dicitur: librorum sacrorum studium laudem meretur, atque etiam non meretur (Baba mezia 33, a). — Hoc tantum sciscitantibus utile est, linguae sacrae genium e libris biblicis investigare,

1) Deuter. 24, 16.

e quibus emanat vita, ut cognoscamus doctrinae et reverentiae erga Deum fundamenta. Etiam versio chaldaea utilis est, licet strictum verborum sensum non teneat. Multi etiam sunt viri sapientes, qui non cognoscunt massoram, qui etiam omne studium grammaticum stultum esse judicant, qui nunquam didicerunt scripta sacra, nedum eorum interpretationes, sed a primae juventute Thalmudi operam navarunt, libro qui tradit de Mischna explicationes. Hae sunt variae et omnes methodo justa utuntur, nam e Thalmude comperimus omnia jussa et edicta, quae debeat homo sequi et vivere. At non decet virum doctum esse rudem in libris divinis: nam imperitus si leget in Thalmude citatum aliquod, quo in libro locus inveniatur nesciet, neque judicare poterit, utrum secundum sensum literalem, an homileticum, an ad fulturam tantum (non serio) sit accipiendus. Nam cum summa quae illorum (Thalmudicorum) est sapientia et exercitatione dialectica dictum unumquodque derivant ex alio; ipsi autem melius cognoverant sensum literalem, quam omnia posterorum hominum genera. Itaque qui scripta sacra non novit, singulos versus evolvere non poterit. Etiam grammaticam scias necesse est; quae res multas detegere potest, quas majores nostri non tradiderunt; nam ipsi quidem omnium scientiarum peritissimi erant,

posteriores autem id solum intelligunt, quod illi expressis verbis edixere. Sunt etiam loci quaedam Thalmudici, quorum sensum imperiti illi plane non perspiciunt; exempli gratia, quod (Rosch haschanah 25, a) saepius luna nonnisi multo post conjunctionem videatur; vel differentia quae valet in constituendo novilumio, ubi quaeritur, utrum tempore antemeridiano an pomeridiano fiat conjunctio; et alia quae de luna comparente obtinent inter Babyloniam et Palaestinam. Nullus scrutator haec omnia intelligere potest, nisi astronomiam didicit et novit solis atque lunae motus; astronomiam autem nunquam scies, nisi didiceris mathematicam; haec enim similis est scalae, in terrae solo stanti, cujus cacumen ad coelum erigitur. Contra coelestia corpora eorumque motus qui intelligit, cognoscet etiam Dei reverendi opera; ita etiam antiqui, quorum memoriam benedicimus, dixerunt: qui non computat corporum coelestium motus, de hoc dicit liber divinus: *opus Domini non respiciunt*[1]). Et sine arte mathematica neque demonstrationes, quae de mensurarum constitutione in tractatu Irubin dantur, neque R. Nathanis quadraginta novem regulas intelliges. Neque scrutator perspicere potest, quo modo anima humana

---

1) Isai. 5, 12.

quinque rationibus similis sit Creatori (Berachoth 10, a), (nam corpus implet, ut mundum Deus; videt, neque videtur; corpus alit, ut universum mundum Deus; pura est, et habitat in occulto), nisi didicit psychologiam; quam vero ipsam cognoscere non potest, nisi antea didicit scientiam de phaenomenis coelestibus et terrestribus, quae est profundissima. Etiam artem dialecticam scrutator discat necesse est, quae est omnium scientiarum quasi statera, et jam antiqui monent: sedulus sis in studio legis et hoc age ut discas, quid respondeas Epicuraeo [1]. Sunt quoque multa in doctorum nostrorum dictis demonstratione et interpretatione egentia; exempli gratia monitum illud: ei, qui noctu (otiose) vigilet, vel (in locis quibusdam) aquam bibat, damnum a malis spiritibus esse timendum, ad doctrinam de phaenomenis pertinet [2]; ad astrologiam, quod dicitur de (malo spiritu foeminino) Igereth filia Machlath [3]; astronomica est narratio illa, quomodo luna solem accusaverit [4]. Neque non in libris sacris multi loci explicationes e variis scientiis exigunt; sic e. g. liber Ecclesiastae nominat quatuor substantias elementares: coelum, terram, aërem et aquam;

---

1) Aboth 2, 13. 2) Aboth 3, 4. 3) Pesachim 112, b. 4) Chullin 60, b.

verba enim: *sol oritur*, coelum significant [1]; dicitur etiam: *terra in aeternum stat;* deinde legimus: *lustrans universa in circuitu pergit spiritus et in circulos suos revertitur,* neque unquam quiescit; denique: *omnia flumina intrant in mare.* Nominantur etiam in principio libri Geneseos illae quatuor substantiae: *In principio creavit Deus coelum et terram*; et: *Spiritus Dei ferebatur super aquas.* Sic etiam hoc: *quis mensus est pugillo aquas, et coelos palmo ponderavit; quis appendit tribus digitis molem terrae; quis adjuvit spiritum Domini?* [2]) Porro: *extendens coelum sicut pellem; qui fundasti terram super stabilitatem suam; qui facis angelos tuos spiritus; qui tegis aquis superiora* [3]. — Dicitur etiam: *congregans sicut in utre aquas maris; timeat Dominum omnis terra* [4]; et paullo antea: *verbo Domini coeli firmati sunt, et spiritu oris ejus omnis virtus eorum.* — Alibi legimus: *quis ascendit in coelum atque descendit? quis continuit spiritum in manibus suis? quis colligavit aquas quasi in vestimento? quis suscitavit omnes terminos terrae?* [5] — Sic dicitur etiam: *longior terra mensura ejus* (divinae sapientiae) *et latior*

---

1) Cohel. 1, 4 sqq. 2) Isai. 40, 12 sqq. 3) Ps. 104, 2 sqq. 4) Ps. 33, 7. 5) Prov. 30, 4.

mari [1]; et: *numquid considerasti latitudinem terrae?* [2] — Haec omnia, ut multa etiam alia dicta perspicua fiunt ei, qui profundius cogitat. Multi alii hujusmodi loci reperiuntur, ut sub finem Psalmorum [3], nam ignis et grando de terra veniunt, cujus dicti veritas strictissime et accuratissime est demonstrata. Illico etiam legitur: *aquae super coelos sunt;* porro lumina et stellas in uno coelo esse declaratur; quae omnia ita se habent.

Scrutatores talmudici nostrae aetatis varias sequuntur rationes. Alii librum legunt, ut vetita et permissa cognoscant; alii operam navant libris homileticis (midraschim), neque non ipsi novas explicationes inveniunt, et ad quamque vocem mancam vel plenam causam quaerunt. At ego contra hoc studium omnino id animadverto, prophetas non ipsa verba tenere, quoties dictum aliquod repetant, sed cogitata tantum, quibus continetur summa rei. In sermone Eleazaris (Abrahami servi) primum legitur: *da mihi pauxillum aquae ad bibendum* [4]; deinde: *da mihi paululum bibere.* — Isaacus filium Esaum alloquitur: *ut benedicat tibi anima mea, antequam moriar* [5]; et Rebecca (hanc

---

1) Job 11, 9. 2) Job 38, 18. 3) 148, 8. 4) Gen. 24. 5) Gen. 27; 4.

rem narrans) dicit: *benedicam tibi coram Domino antequam moriar.* In somnio (Pharaonis) primum legitur: *quarum mira species*, et habitudo corporum erat, at in interpretatione non ita narratur [1]). Bileamo dicebatur: *male dic populo* [2]); et ipse dicit: *devoveas eum.* Moyses haec verba loquitur: *misit Israël nuntios ad Sichon, dicens: obsecro ut transire mihi liceat per terram tuam, non declinabimus in agros et vineas* [3]); post vero Moyses expressiones mutans dicit: *publica gradiemur via, alimenta pretio vende nobis* [4]). Dicitur etiam: *dimitte me, ut irascatur furor meus contra eos, et deleam eos* [5]); Moyses mutatis verbis narrat: *dimitte me ut conteram eum et deleam nomen ejus* [6]). Similia invenies in multis locis. In decalogi praeceptis primum dicitur: *memento* [7]), postea: *observa* [8]); nunc dicitur, *mendax*, nunc, *falsum testimonium;* hic monetur: *non concupisces*, illic, *non desiderabis* [9]). Versus ille de lapidibus onychïnis, exprimitur omisso vav, et Moyses repetit, addito *vav* [10]). Eadem variatio occurrit in praecepto *non moechaberis.* Omnino inveniuntur in repetitione

---

1) Gen. 41, 4. 2) Num. 22, 6. 3) Num. 21, 21. 4) Deut. 2, 27. 5) Exod. 32, 10. 6) Deut. 9, 14. 7) Exod. 20. 8) Deut. 5. 9) Exod. 25, 7. 10) Exod. 35, 9.

decalogi additamenta et omissiones; quod facile intelliget sapiens.

Nonnulli etiam libris Talmudicis operam dant, ut ante alios excellant; quare praecipue occupantur libro de litibus civilibus. Neque non mercedem divinam merentur, cum errantes edoceant et fraudatos recte ducant; sed si omnes Israelitae justi essent, non necessaria esset haec pars Talmudis. Praeterea sunt leges non singulo cuique aptae, scilicet quas pro multis unus exercere potest; exempli gratia buccinae cantus diebus festi piacularis et memorialis; sacrificia stativa et solemnia; etiam lex illa: *et in unum congregato* [1]) sqq.; atque sufficit unus judex ad multa jurgia loco multorum componenda. Debet autem homo se ipsum excolere, cognoscere leges Dei qui eum creavit, et vitam suam recte componere, tum cognoscet suum creatorem. Itaque dixit Moyses: *ostende mihi vias tuas, ut sciam te;* dicit etiam propheta: *non glorietur sapiens in sapientia sua* [2]) — quaecunque sit scientia, sed in illa cognitione sola, et quaenam est? *scire et nosse me.* Et David monuit: *scito Deum patris tui;* tum vero dixit: *et servito ei* [3]). Nam ad hunc finem homo

1) Deut. 31, 12. 2) Exod. 33, 13. 3) Paralip. 28, 9.

est creatus. Tum demum, cum se ipsum satis excoluerit, alios excolat, si potest.

At majores nostri noverunt mysterium de sede atque de altitudine (Domini); absit autem suspicio figuram tribui supremo numini; sed verba exigunt interpretationem, ut locutio illa in libris sacris: *faciamus hominem ad imaginem nostram* [1]). In vaticiniis Deus describitur: *quasi aspectus hominis* [2]); tunc dicitur: *a lumbis ejus et de super;* et sub finem libri nostri hoc mysterium explicabimus.

Doctorum qui vocantur Geonim unus librum fecit, quem nominavit *Liber agnitionis unitatis,* secundum rationem philosophorum; sunt autem in hoc libro perpaucae cogitationes perspicuae; nam explanatio philosophi (nullo auxilio nisi sua intelligentia nitentis) confessioni ignorantiae aequivalet; Deus enim omnium rerum sciens non est objectum scientiae neque scientia capitur. Etiam difficile est credendum, Deum mundum cum voluntate nova creasse. Omnino quomodo meditari potest homo, ut eum cognoscat, qui sublimior est se ipso, cum tamen ipse, quid sit suus animus, aut quid corpus, nesciat? Is tantum, qui novit doctrinam de phaenomenis et omnes ejus demonstrationes, artem

1) Gen. 1, 26. 2) Ezech. 1, 26—27

plectit Dajah et Daah, ut si dicitur: *aves non divisit* [1]; ubi avis includit turturem et columbam; vel etiam: *et demolientur excelsa Isaaci* [2]; quod idem est ac si diceretur: »excelsa Edom et Israel« et alio loco dictum est *et demolientur excelsa Aven* [3]. Hoc etiam inde cognoscitur, quod amba nomina literas communes habent. — Quare etiam in omnibus scientiis et artibus nemo singula quaeque scire cupit; nemo enim mente ea complecti potest, quae nullo temporis momento in eodem statu permanent, sed semper mutantur; universalia contra semper existunt.

Necessarium mihi erat thesin communitatis inducere antequam de legibus agam, quod vidi, viros doctos sexcenta tredecim praecepta variis rationibus numerare. Quorum alius interdictum de coquendo haedulo semel numerat, alius ter, quia tribus locis in pentateucho legitur, quod interpretati sunt sapientes nostri; et similia multa. Alii numerant praecepta generalia et specialia, alii partim sola generalia, partim sola specialia. Nonnulli bis numerant legem, quae variis locutionibus expressa, sed eodem sensu invenitur. Accuratius si indagabis, infinitum invenies legum numerum, ut dicit Psalmista:

---

1) Gen. 15, 10. 2) Amos 7, 9. 3) Hos. 10, 8.

omnis consummationis vidi finem; latum mandatum tuum nimis [1]. Si autem agitur de enumeratione legum principum, praeceptorum communium et mandatorum in omnia tempora mansurorum, tum numerus non aequat decimam partem sexcentorum et tredecim. Summus Dominus videt cordis mei puritatem, novit me non scripsisse hunc librum, ut ejus sapientiam cognovisse videar, neque ut mysteria mihi esse patefacta ostendam, ut his glorians majoribus nostris me opponam; nam bene scio, illos me sapientiores multo et religiosiores fuisse, atque sunt etiam nostra aetate summi sapientes. Sed hunc librum composui in usum fautoris venerandissimi, qui me magistro aliis quos illi scripseram libris operam navabat, et magno in eum amore ductus laboravi, ut tractatum de legibus ei conscriberem; nam videbam in eo virum veritatem diligentem, qui inter multos religione excellit et pietate.

Est summa quaedam lex fundamentalis, scilicet quae omnia divina mandata, jussa et interdicta observare jubet. Hoc praeceptum: *servietis Domino Deo vestro* [2] comprehendit omnes leges corde, ore, facto observandas, quae sunt aut ipsae leges fundamentales, aut talibus memoria retinendis

---

1) Ps. 119, 96. 2) Exod. 23, 25.

inserviunt. Mandatum illud, quod *Dominum metuere* jubet, complectit omnia vetita, exprimitur vero ut jussum. Nam sensus monet, ut malum vites, sicut pudendum aliquod tangere vereris, propter Dei timorem; sicut servus, qui coram domino, quamdiu oculis eum videt, malum quoddam committere non audet; nam sunt alii qui cupidinibus suis indulgent, ne regem quidem curant, cui notescere possit facinus, neque malam famam vel dedecus vel contumeliam. Lex illa: *Dominum Deum vestrum sequimini* [1]) comprehendit mandata, quae clementiam atque justitiam exercere et pacem jungere jubent. Ita dicit etiam propheta: facere justitiam et diligere misericordiam [2]). Hoc ergo complectit praecepta: *honora patrem tuum, non occides; non maechaberis, non furtum facies, non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium, non rapies, non concupisces quae proximi tui sunt. Non mentiemini nec decipietis* [3]). *Mendacium fugies* [4]); *non declinabis in judicium pauperis* [5]); *nec honores vultum potentis; nec accipies munera. Non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum; sit tibi statera justa; non morabitur opus mercenarii tui apud*

---

1) Deuter. 13, 4. 2) Micha 6, 8. 3) Levit. 19, 11. 4) Exod. 23, 7 sqq. 5) Levit. 19.

te usque mane. Non quaeras ultionem, nec memor eris injuriae. Diliges amicum tuum sicut te ipsum. Sit tibi justus modius. Porro haec mandata: *pauperibus et peregrinis carpenda dimittes* [1]; *si pecuniam mutuam dederis, non urgebis quasi exactor* [2]. *Viduae et pupillo non nocebitis; non facies quod iniquum est, nollite affligere* [3], et similia multa. Praeceptum illud (Mich. 6, 8) *solicitum ambulare cum deo tuo* comprehendit omnem morem, legem et doctrinam, quae Deus nobis praecepit.

Multa mandata vim amiserunt, itaque qua de causa sexcenta? Huc pertinent: fasciculus hyssopi, quod mandatur ad sacrificium paschale in Aegypto [4]; leges illae: *nullus egrediatur ostium domus suae* [5]; *nullus egrediatur de loco suo die septimo* ad colligendum *Man; nullus relinquat ex eo; sitis parati in diem tertium* [6]. Similia sunt opera in condendo et movendo tabernaculo foederis, motiones, vexilla, remotio contaminatorum e castris, lex quae secretum locum et palam in castro militari habere et contra hostes, quorum memoria jam dudum extincta est, proficisci jubet; ita etiam benedictio et exsecratio et altare in monte Ebal,

---

1) Levit. 19, 10. 2) Exod. 22. 3) Levit. 25, 17. 4) Exod. 12, 22. 5) Exod. 16. 6) Exod. 19, 11.

jussum, quod lapides calce obducere et leges iis inscribere monet, constitutio asylorum et bellum cum Amaleco. Sunt etiam praecepta, quae soli Moysi dabantur, ut conditio arae terrenae, ubi foedus pepigit cum gente Israël; mandatum tabularum coelendarum, constitutio tabernaculi, celebratio septem dierum inaugurationis. Jubetur etiam Moyses unguere tabernaculum et fratrem ejusque filios, in clypeolo pectorali urim vethumim condere, foederis tabulas in arca ponere, serpentem aëneum elaborare et multa alia hujusmodi mandata exsequi, ut laminarum fabricatio et edictum, quod sacerdotes juxta arcam et extra eandem doctrinae librum et ampullam plenam manna et Aharonis virgam servare jubet.

Sunt etiam leges quae subduntur praecepto ampliori. Ita dicitur: *omnis homo ad proximam sanguinis sui non accedet* [1]) et statim subditur interdictum de turpitudine patris et matris; postea incipitur a matre. Quare etiam ad alias ut consanguineas patris aut matris interdictum pertinet. Tamen qui computant mandata, unum quodque incestus vetitum singulatim numerant, quia nonnulla singularem judicii poenam minantur; sed poena exterminationis omnes continet.

---

1) Levit. 18, 6.

Porro computaverunt interdicta omnium pecudum immundarum, viginti genera avium, omnia reptilia terrae, reptilia volantia et aquatica. Scimusque immunditatem octo reptilium esse gravem. Denique quia porcus, cuniculus et lepus unum munditiae signum habent, opus erat de illis dicere: *nec cadavera contingetis* [1]. Scilicet: quia sancti estis, non contingetis cadavera, quae vos contaminent. Caeterum scriptura de illis loquitur ut de aliis cadaveribus, et qui illa tangit, nec exterminationis, nec flagellationis poena afficitur.

Sunt alia ejusmodi interdicta, ut si illa violaveris, aliquid faciendo poena absolvaris. E. g. *Nec remanebit quidquam ex eo usque mane* [2], sc. si potestis, *si quid autem residuum fuerit, igne comburetis;* attamen praestat nihil remanere. Eodem modo verba: *Levir cum ea convenito* [3] non proprie praeceptum continent, sed glossem in matrimonium ducens remunerationem sibi conciliat, nolentem autem ducere curia non cogit.

Sunt etiam praecepta generalia alii generis, e. g. ea quae stuprum facere vetant. Alia interdicunt coitum cum eodem genere, qualis est praederastia cum homine, alia

---

1) Levit. 11, 8. 2) Exod. 12, 10. 3) Deuter 25, 5.

cum genere alio. At interdictum de coitu cum pecudibus aves quoque comprehendit, nam scriptura magis consueta praelegere solet, ut illo loco: *Deus recordatus est noae et omnium quae cum eo erant in arca, animalium et pecorum* [1]); quippe quae genera cum homine eodem die creata honestiora habentur. Porro si dicitur: *et eo deciderit bos aut asinus* [2]), ista genera animalium praecipue nominantur, quod in terra sancta frequentiora inveniuntur; attamen illa lex valet etiam de equo, de mulo et de camelo. Interdictus est etiam coitus cum sexu foeminino, si non est ejusdem generis, ut cum pecoribus; neque minus cum hominibus ejusdem generis, idque in aeternum, ut cum uxore patris, sorore et filia. Nonnunquam interdictum valet tantum vivente adhuc alio, ut cum marita viri, cum vidua matrimonio levirali subjecta, cumque sorore uxoris adhuc viventis. Nec non interdictus est coitus cum foemina religionem viri non colente. Orpha nimirum reversa est ad populum deosque suos, Rutha vero dixit: *mihi tecum communis erit populus, communis Deus* [3]). Qui autem concubuerit ethnicae, quae non antea lustrata sit ab impuritate sua unitatemque supremi numinis agnoverit, eum non minus

---

1) Gen. 8, 1. 2) Exod. 21, 33. 3) Ruth 1, 16.

peccavisse existimandum est, quam qui liberos idololatriae addicit. Interdictus est etiam coitus cum ipsis foeminis, quas in matrimonium ducere licet, ut cum virginibus viduisque, imo cum propria uxore menstruis laborante, vel diebus pollutionis (purificationis) post partum maris vel foeminae.

Sunt etiam dicta quae, quanquam specie praeceptorum enunciata, nihil peragere jubent. Sic e. g. mulierem (captivam) formosam in matrimonium ducere non jubet scriptura, sed permittit, idque omnibus praescriptis conditionibus peractis [1]; neque objicias mihi verba *quam amore captus in matrimonium ducas*, nam hîc desiderium tantum significatur, ut in verbis Pharaonis *et eam mihi in matrimonium copulavi* [2], videlicet secundum propositum suum. Eodemque sensu de Balako dicitur *lacessivit bello Israelitas* [3]. Argumentum insuperabile est quod (post praescriptas conditiones) dicitur: *Ita demum, cum ea congressus, eam tibi matritato et conjugem habeto.* Conditiones vero sunt, ut postquam decreverit illam conjugem sibi sumere, eam in domum suam introducat, neque relinquat in alius potestate; ut illa instar leprosi (die purifi-

---

1) Deuter. 21, 10. 2) Gen. 12, 19. 3) Jos. 24, 9.

cationis) capillos tondat, ungues secet; — non opus erat monere, ut aqua lustrali expiet, quia jam alio loco dictum est *vos captivique vestri* [1]); — ut vestem captivitatis exuat, qua induta numina ficta coluerit, quo sensu etiam dicitur: *Mutate vestimenta vestra* [2]); ut patrem et matrem, modo occisos vel adhuc viventes, deploret; hujusque morae unicus est finis, ut forte ad ommittendum matrimonium permoveatur. Qui vero filiam Israëlitae absque his conditionibus uxorem ducit, praeferendus est illi concupiscenti. Itaque in toto illo articulo unum tantum praeceptum absolutum continetur: *ne eam in rem tuam vertito.*

Eodem modo praescribitur in tractatu *Berachoth*, ut ante peractionem pii operis Deum benedicamus. Laudari quoque potest Deus, qui actionem aliquam quadam conditione permiserit, ut mactatum (non eo sensu, ut mactando pium opus perficiamus). Eadem ratione, qua ante pium opus, Deum laudare licet ob mactandum paschatis anteque circumcisionem, quae absoluta sunt jussa, mactatus vero non absolute est praescriptus, sed interdictum est comedere carnem pecorum, antequam sanguinem humi sparseris, idque

1) Num. 31, 19. 2) Gen. 35, 2.

mactando, nulloque alio modo. Itaque illa oratio similis est orationi nuptiali, in qua commemoratur, Deum consaguineas sponsasque interdixisse, nuptasvero permisisse. Qui ergo mactando Deum benedicit, pingue vetitum et venas aufert, Deumque post coenam laudat, remunerationem accipiet; qui contra haec omnia negligit, poena afficietur. Attamen omnes illae actiones piis operibus non sunt adnnmeradae, nam illarum finis sanctitate caret, neque dubitari potest, eum qui jejunet carneque abstineat ad exemplum Danielis majorem remunerationem a Deo accepturum fore. Idem aestimandum est de eo qui totum diem jejunat et preces coenatorias non recitat. Porro naziraeus non est obligatus ad recitandas (diebus festis) preces inaugurales et dimissorias, neque ad bibendum (festo paschali) quatuor pocula vini; cum illa officia nonnisi vinum bibenti sint praescripta. Istaque omnia commemoravi, quia de pio sapiente quodam mihi narratum est, quem dicunt saepe vagatum esse per vias, ut inveniat quempiam, qui avem mactandam haberet, idque fecit ad implendam quotidie centuriam benedictionum.

Inter enumeratores praeceptorum sunt etiam nonnulli qui in legum numerum meras explicationes receperunt, ut illa dicta: *ne animo deflectat, ne populum reducat in*

Aegyptum [1], *ne monile separetur a superhumerali* [2], qua propter nimirum alligandum est; *ne moriatur in praelio* [3], et ni obstaret traditio etiam verba *neque ex ea detrahantur* [4] simili sensu accipienda essent.

Sunt etiam qui in piorum operum numerum admiserunt actiones non jussas, sed tantum permissas; ut *peregrinis vestratibus comedendum datote aut extraneis venditote* [5], item *ad canem projicitote*, quae verba referenda sunt ad exhortationem *praestate vos mihi viros sanctos* [6], sensus que praecepti est: *Caro rapta non tibi est utile alimentum, itaque projicies eam cani tua pecora custodienti;* quod etiam vocali pathach literae Lamed supposita significatur; et ni traditio vetaret, etiam verba: *in servitium sempiternum eos cogitote* [7] simili sensu accipienda viderentur. Nam omnes leges a majoribus accepimus, nullumque est discrimen in iis, quae ad leges attinent, inter illorum et pentateuchi jussa, nam et illa a Deo nobis mandata sunt, illique acceperunt a suis patribus, et patres a prophetis; omnia vero jussa emanaverunt ex ore Dei, nunciante Moyse.

---

1) Deuter. 17, 16—17. 2) Exod. 28, 28. 3) Deuter. 20, 5. 4) Exod. 25, 15. 5) Deuter. 14, 21. 6) Exod. 22, 30. 7) Levit. 25, 64.

Nunc traditurus sum tibi exemplum unius legis bis enumeratae, quae est *memento diem sabbathi sancte agere* et *servato diem sabbathi*. Sed et *vocare sabbathum delicias, non ex suis moribus agere, non libidini obsequi, non isto modo loqui* [1] sunt varia jussa quorum una fons est interdictum: *Nullum opus facito*. Idcirco omnibus hebdomadis diebus meminisse oportet, quis dierum instantium sit septimus, ut dies domini observetur; itaque *memento* et *custodi* una re continentur. Sanctificatio vero diei in cessatione operum constat, secundum verba Jeremiae [2], deliciae continentur in quiete a contentione corporis negotiisque et sermonibus ad quaestum pertinentibus, ne ad faciendum opus incitemur.

Praeceptis religionis etiam adnumeranda est illa exhortatio: *Circumcidite vestri cordis praeputium* [3]; interdictis vero monitum *nolite cervicem vestram indurare*. Jamque doctos hujus aetatis interrogavi, quae sit horum verborum vera explicatio; at quasi confracto arundineo baculo me repulerunt, ut pellere solent discipulos qui inter veritatem et mendacium distinguere non intelligunt. Ashoretici (qui praecepta enumerant) similes

---

1) Jesai. 58, 13. 2) 17, 21—22. 3) Deuter. 10, 16.

sunt ei, qui numerum plantarum novit in libro quodam de medicamentis memoratarum, sed nescit quae sit illarum efficientia. Quam ergo utilitatem nomina illi offerre possunt? Necnon accidere potest, ut in eodem libro plantae duobus nominibus nominentur, ille vero credet duas plantas diversas nominari. Huc pertinent verba *memento* et *ne oblivioni mandato* [1]), quem versum suo loco explicaturus sum. Hujusmodi praecepta multa reperiuntur in pentateucho, quae nemini curae sunt.

PORTA TERTIA.

Sunt praecepta primaria aliis praeceptis circumsepta (quibus transgressio avertatur), ut naziraei per totum tempus devotionis suae vino et temeto abstinent, quia vinum conscientiam tollendo concupiscentiam auget. Itaque Daniel vino se abstinebat et ne paschali quidem festo bibebat, quamquam (prima festi nocte) praecepto rabbanitico vinum bibere jussum est. Simul Deus naziraeo interdicit acetum vini, infusionem uvarum,

---

1) Deuter. 25, 17 — 19.

acinos et cutem; novaculamque ejus capiti admoveri vetat, ne se mulieribus exornet. Ratioque horum interdictorum est, quod mero voto vinum vitandi, ni illae coercitiones accedant, naziraeus perfecte devotus Deo non est censendus. Hanc rationem secuti sunt etiam majores nostri respectu diei reconciliationis, quo interdictum est edere; et hoc interdictum est momentum praecipuum festi, nam ubique in scriptura sacra verbum *subigere* cum substantivo *anima* conjunctum *jejunare* significat, nam anima animalis vim suam a jecore accipit et illa est quae cupidinibus movetur; quo sensu etiam dicitur: *Anima tua cupiet* [1]), *anima escam abhorrens* [2]), *anima quae comedit* [3]). Testes sunt quoque loci: *Quare jejunavimus et non vidisti, subegimus animam nostram et non animadvertis?* [4]) ubi eadem sententia bis explicatur; porro *Hoccine est jejunium, quod ego approbem, dies quo animam subigat homo?* et *animam subactam saturiaveris;* jamque explicavi quare tamen dictum sit: *subegi jejunio animam meam* [5])., ubi litera *beth* cum he prostetico contrahitur. Necnon bibere vetuerunt die reconciliationis, quia invenerunt locum illum: *comedito*

---

1) Deuter. 12, 20. 2) Hiob 33, 20. 3) Levit. 7, 18. 4) Jes. 58, 3 ff. 5) Ps. 35, 13.

apud Jouam Deum tuum tui frumenti, vini oleique decumas [1]. Ungui quoque vetitum est, quia dictum est a Daniele: *nec unguentis usus sum* [2]; hic autem objici potest quod illo loco dictum est: *ad considerandum et te Deo tuo subigendum*, verbo *anima* non sequente. Lavari quoque vetitum est die reconciliationis; tamen pollutum se abluere jusserunt. Quam praeclara vero sunt illa dicta majorum: *Studiosus esto in observatione levium praeceptorum ut gravium*, et: *Remuneratio pii operis est aliud pium opus.*

In Decalogo quinque praecepta pertinent ad officia erga Deum, suntque officia cordis et gravissima. Jussa vero ad officia erga homines referenda incipiunt a sexto et gravissimo: *ne caedem facias.* Summatim observandum est, exterminationis mortisque supplicia nonnisi violatoribus interdictorum esse inflicta, qui contumaciores aestimabantur illo, qui sibi imperata negligit, nullumque inveni praeceptum inhibitivum, cujus neglectio exterminatione puniatur, nisi circumcisio, quae est signum foederis per totam vitam in corpore permanens, unoque actu officium est absolutum, nimirum die octavo post diem natalem; quae obligatio est patris vel summi

---

1) Deuter. 14, 23. 2) Dan. 10, 3.

clerici. Qui autem non circumcisus adultus quoque ut circumcidatur non curat, exterminationis poena afficitur. Eadem poena affligitur qui paschati agendo supersedet; nam fons omnium praeceptorum est exitus ex Aegypto, quam ob caussam interdictum *Deum conflatilem ne facito* [1]) immediate sequitur *azymalia observato*, et ad interrogationem *quae sunt testimonia* fit responsum *servi Pharaonis fuimus* [2]).

Nunc tibi indicabo unum praeceptum, quod cetera omnia comprehendit cujusque violatores exterminationis poenae obnoxii sunt. Si mentem omnium pronuntiatarum exsecrationum consideras, animadvertes illas omnes ad occulta tantum peccata spectare [3]). Ad primam hoc in expresse adjicitur et plerisque idem est perspicuum. Consuetudo cum sorore et socru facile suspicionem effugit, animaliaque stupro adhibita sunt muta. Sub finem dicitur: *Exsecrabilis qui legis hujus dicta non praestiterit*, in occulto scilicet et contumaciter, nam palam peccantem judicium coercet vel poenis afficit. Quamobrem veritati consentaneum est verba *haec omnia* [4]) eodem sensu esse accipienda, quo illa: *quid si exsequiis pollutus ista omnia tetigerit* [5]),

---

1) Exod. 34, 17. 2) Deuter. 6, 21. 3) Deuter. 27, 15 – 26. 4) Levit. 18, 24. 5) Hagai 2, 13.

ubi etiam *omnia* unum ex omnibus significat. Quod porro, qui peccatum per imprudentiam commisit, piaculum afferre debet, quo indicet se invitum deliquisse, perspicue demonstrat libenter peccantem nomen Dei profanare. Videmus quoque Israëlitas omnes, quanquam obstante interdicto: *neminem conservatote,* Gibeonitis propter jusjurandum iis datum pepercisse.

PORTA QUARTA.

Sunt praecepta universo populo injuncta, ut holocausta, panis appositicius, vinum libationis oleumque lucernarium; alia pertinent ad distinctas quasdam familias, ut officia principis, summi pontificis, ceterorum sacerdotum et levitarum, quorum munerum numerus est permagnus. Alia praecepta ad singulos homines cujusquam familiae spectant, ut officia regis, naziraeorum, leprosorum et immundorum. Pleraque praecepta indistincte maribus foeminisque sunt imperata; nonnulla tamen solis maribus, ut circumcisio, leges immundorum propter nocturnum casum, sepositio et redemptio primogenitorum et pars duplex eorum; nonnulla solis foeminis, ut leges de iis, quae menstruis laborant, de

puerperis, de adulterii suspectis, denique de votis uxorum et puellarum. Alia ex alia re pendent, ut holocausta et sacrificia festorum in loco electo, tresque peregrinationes, multaque alia hujusmodi praecepta. Illis adnumerandae sunt leges quibus monemur, ut nobis natos filios circumcidamus primogenitosque redimamus, si arbores vescas plantemus fructum per triennium profanum habeamus quartoque anno laudando consecremus aut redimamus; si campum vel vineam coluerimus proventum decumemus, si pecuniam mutuo dederimus non nos foeneratores praebeamus, si uxores nostras suspectas habeamus rite procedamus, si servos vel ancillas habeamus vel mulierem in matrimonium ducamus regulas praescriptas observemus. Praeceptaque his similia sunt permulta, quorum pleraque sunt judicia et sententiae.

Multae sunt leges ad certa quaedam tempora pertinentes, ut circumcisio ad diem octavum et aestimationes pretii prout personae aetas sit mensis unus vel quinque, vel viginti, vel sexaginta annorum [1]). Multa opera pia nonnisi interdiu peraguntur, ut oblatio sacrificiorum et circumcisio, quaedam noctu, ut epula paschalis et numeratio post oblationem manipuli [2]), quaedam dubia luce ut finis mactationis pa-

---

1) Levit. 27, 2 ff. 2) Levit. 23, 15.

schalis, accensio lucernarum et reditus pollutorum in castra, nonnulla meridiano tempore ut oratio meridiana et initium mactationis paschatis, unum singulis hebdomadibus, ut celebratio sabbathi, quaedam semel quotannis ut festum pentecostes, dies commemorationis, dies reconciliationis et dies feriarum (dies octavus festi tabernaculorum), quaedam per septem dies ut usus panis sine fermento; nam secundum simplicem scripturae interpretationem panis sine fermento per septem dies est comedendus, quia post commemorationem paschatis dicitur: *Septem diebus non fermentatis angustiae panibus vescitor . . . ut illius diei tuae ex Aegypto emigrationis recordere* [1]). Itaque indicatur caussa, quia nempe septem diebus Israelitae pane azymo vescebantur columna praecedente interdiu noctuque, donec Pharao demersus est; tunc Moyses eos migrare jussit usque ad erectionem tabernaculi, quod suo loco explicavi. Item sub tabernaculis per septem dies degitur, accensio luminum fit octo diebus, liber Esther tempore definito praelegitur, laudationes *Hallel* dictae octodecim diebus unaque nocte omnes, noviluniis autem sexque diebus paschalis festi partim recitantur, quinquaginta dies numerantur post

1) Deuter. 16, 3.

oblationem manipuli, septimus quisque annus ut sabbatharius, quinquagesimus ut annus jubilis sanctificatur. Ceterum multae leges nec e tempore, nec ex alia re pendent, illaeque impositae sunt omnibus qui officiis obstringuntur, maribus et foeminis, regi, sacerdoti, diviti et pauperi in Israele, nec non proselytis, sanitate gaudentibus aegrotisque; una est lex omnibus, illaque praecepta sunt primaria.

PORTA QUINTA.

Leges primariae, quae nec e loco, nec e tempore, nec ex alia quaquam re pendent, ingeneratae sunt animo. Traditae sunt nobis ut bonum, quod traditur manibus illius cui custodiendum creditur; quo sensu rex David dicit: *Mandata domini sunt recta, mentem exhilarant* [1]. Illaeque leges cognitae erant vi mentis ante legem mediante Moyse declaratam, et ejusdem generis sunt permultae, ut mandata decalogi excepto sabbatho, et sunt a Moyse repetitae tantum. Atque respectu legum his similium dicitur:

---

1) Ps. 19, 9.

Meaque instituta, praecepta, decreta legesque conservavit [1]. Nam si patriarcha Jacobus omnes concubitus vetitos cognovisset, non simul duabus sororibus in matrimonio usus esset. Quamobrem verba illa *nam quodcunque nefas dominus perosus est* [2] ad plerasque has leges sunt referenda, e. g. ad paederastiam, quae est violatio voluntatis Dei et stuprum maxime abominandum; item ad commixtionem cum alio genere, ad stuprum mulieris cum pecore, coitusque cum proximis cognatis. Itaque verba *quae illi est proxima* [3] cum verbo *sororis* sunt conjungenda, quae nimirum est simul filia ejusdem patris ejusdemque matris; ut etiam in illo loco: *et Israelitae spectaverunt Aegyptios mortuos in littore maris* [4] verba *in littore maris* non ad Aegyptios, sed ad Israëlitas sunt referenda, quippe qui in mare demersi sunt. Ideoque Abrahamus dixit: *Vere etiam mea soror ex patre est* [5]. Testis est quod ejusmodi commixtiones non a judicibus vindicantur. Sin autem quisquam objiciet, cur ea sola contaminatio, quae fit in funere sororis, non autem fratris, sacerdotibus sit permissa: dicat nobis, quare dicatur *virginis*, itaque non significetur quae virginitate privata est; quae distinctio ad fratrem non pertinet.

---

1) Gen. 26, 5. 2) Deuter. 12, 31. 3) Levit. 21, 3. 4) Exod. 14, 30. 5) Gen. 20, 12.

Jussa sunt etiam pia opera, quibus aliorum praeceptorum primariorum recordemur, ut celebratio sabbathi in memoriam creationis mundi, feriatio servorum in memoriam emigrationis ex Aegypto, pascha, panes sine fermento cum cichoreis, tabernacula, inscriptiones portarum, phylacteria capitis manusque, fimbriaeque vestimentorum, quamvis vitta hyacinthina carente exsecutio praecepti non impediatur ut usus panis sine fermenti non impeditur inopia cichorearum. Nam vitta hyacinthina recordationi inservit, qua propter praetexta ephudi tota erat hyacinthina et lamina coronae sacrae adaptata erat vitta hyacinthina. Qui ergo vestimentum fimbriatum (tantum tempore orationis matutinae) induit, pium opus non rité peragit, nam usus fimbriarum toto die officium est. Ceterum qui in viis versatur multasque formas aspicit, facilius oculis suis incitatur, quam precationis tempore. Atque hoc observavi, quia multos vidi viros Deum non vere timentes, qui tantum jactantiae caussa se vestimento fimbriis ornato induunt. Nec non Ephud monileque summi pontificis recordationi inserviunt. Nervo in cavo femoris vesci etiam recordationis caussa est vetitum, quum e contra agno paschali vesci recordationis caussa jussum est.

Nunc dicam filium, patre officium aliquod sibi posterisque suscipiente, obedientiam debere. Huc pertinent dies phuraci, jejunia et

precationes in libro Estherae praescripta [1] (nempe quatuor dies jejunii libro 12 prophetarum [2] commemorati, quos prophetae senatoresque illius aevi sibi posterisque in memoriam calamitatum susceperunt, quapropter regina Esthera et Mardochaeus secundam epistolam scripserunt, ad confirmandos dies phuraeos jam antea a Mordachaeo Estheraque susceptos, ut prophetae priores quatuor dies jejunii sibi posterisque assumpserunt). Non obedientes vero filii jussa summi domini transgrediuntur. Illa vero lex est instituta, ut recordemur beneficii a Deo Jacobo praestiti, qui nostri tantum est avus, nullique alio populo nobiscum communis, ut Abrahamus Isaacusque; nam Deus illum elegit, nullusque populus non electus cum ejus posteritate commixtus est, ut Abrahamo accedit, prolesque ejus non inquinata est cibo vinique potu gentilium, quo sensu commemoratum est in lege Canaanem exsecratum esse, ne commisceretur cum israelitis, qui sunt filii semi, auctoris omnium hebraeorum, cuique israelitae sunt attributi, quia Noa illi benedixit (ne commiscerentur) cum posteris maledicti. Eodem sensu ait propheta: *Habet autem controversiam dominus cum Judaeo in Jacobum animadversurus* [3]; nempe in filios

1) 9, 31. 2) Zach. 8, 19. 3) Hosea 12, 3.

Jacobi (quia non Ephraimus solum sed Etiam Juda peccaverat), testisque verbum *cum Judaeo.* Posthac dicit propheta: *in utero fratrem suum supplantavit;* Deus enim dederat illi vim corripiendi fratris sui calcem, antequam exierat ex utero. Sententia vero eorum, qui dicunt, illum post exitum modo id fecisse, non constat, nam dicitur *manu tenens*[1]), secundum illorum vero explicationem dicendum esset: *et postea exivit frater ejus corripuitque manu.* Pergit propheta dicens: *in utero fratrem suum supplantavit, suoque robore cum Deo egregie dimicavit,* colluctatus est enim cum angelo, qui eum superare non valuit, quod illi est maximo honori. Porro notum est e medicorum scientia, quodque membrum (animalis quo vescitur) corroborare, si sanum est, simile membrum hominis, et vice versa. Quia itaque scriptum est: *contractum est cavum femoris Jacobi*[2]), inde ab illo die illo nervo vesci est nefas, filiis enim patrem honorandum est. Necesse autem erat mihi hoc copiosius explicare, quia e naturali sensu constat, omnem narrationem nonnisi legis gratia scriptam esse (eadem lege ulterius non apparente). Non idem est censendum de circoncisione (illam nempe quo-

1) Gen. 25, 24. 2) Gen. 32, 26.

que in memoriam circoncisionis Abrahami esse jussam), repetitur enim *octavo die circumcidatur fetus membri praeputium* [1]. Ratio autem officiorum erga viduas orphanosque est: *memento te servum fuisse* [2], noli ergo superbire in opera Dei.

PORTA SEXTA.

Quaedam praecepta satis sunt explicata in Pentateucho, alia sunt autem, quorum veram explicationem nonnisi opera sanctorum propagatorum traditionis novimus, qui eam acceperunt filius a patre vel discipulus a magistro, deficienteque traditione illa praecepta aliter accipi possent. Sunt etiam jussa quae, in pentateucho plané non commemorata, traditione sola accepimus. Summatim vero dicam: Ni fuissent magnae synagogae viri, mischnaeque, talmudisque, jam lex Dei nostri perdita in oblivionemque adducta esset. Illi enim omnia rite explanaverunt, praeceptaque sententiasque magna cum perspicuitate secundum traditionem acceptam explicaverunt. Nonnullae eorum sententiae

---

1) Levit. 12, 3. 2) Deuter. 15, 15.

testimonium non ambiguum in pentateucho reperiunt, alia interpretatione talmudistis peculiari probantur, pro aliis denique scripturae locis tantum ut fulturis usi sunt; at qui judicii acumine est praeditus facile dignoscet, ubi scripturam secundum ingenuum sensum, ubique methodo peculiari interpretati sunt, nam illustrationes eorum non omnes eadem methodo erutae sunt, Deusque, qui illis sapientiam suppeditavit, illos pro meritis remunerabit.

In libro Jeremiae legimus interdictum: *neve onera ex aedibus vestris efferatis die sabbathi* [1]), quod in pentateucho non reperitur. Multa jussa a patribus accepta habent indicium in pentateucho, multa non habent, utriusque generis nonnulla promiscue commemoraturus sum, ut centuriam quotidianarum benedictionum, precationes, preces coenatorias, laudationes *Hallel* dictas, — R. Bechai affirmat illas imperari verbis: *ille vester laus, ille vester Deus est* [2]) — recitationem *Schema*, commixtionem ciborum, orationem inauguralem et dimmisoriam (initio et fine festorum), tres sabbathi coenas, et secundum nonnullos doctores accensionem luminum sabbathi. Et clangere tubo *Schofer* dicto die recordationis (a patribus jussum

1) 17, 22. 2) Deuter. 10, 21.

est), ni enim foret traditio eodem modo quo novilunio Nissan (tubo metallico) clangendum esse videretur, nam illud novilunium est primarium quia introitum solis in veram thekupham (i. e. in signum arietis) praecedit; (introitus contra solis in signum staterae est momentum ominosum), quapropter dixerunt diem recordantiae diem judicialem. Idem est dicendum de usu palmae (tabernaculorum festo) nam in scriptura dicitur tantum: *primo autem die sumitote*[1]), quae lex deficiente traditione alium haberet sensum. Idem valet de numeratione post oblationem manipuli, nam talmudistae distinxerunt inter praeceptum: *numeratote vobis*[2]) (apud manipulum) et illud: *agat dies numero septem*[3]), (apud menstrualia ubi ritus numerationis non jubetur). Porro interdictum pecoris rapti habet rationem praeclaram ex astrologia haustam. Item septem dies nuptiarum et luctus, curatio aegrotorum, sepultura mortuorum, lumina festi inauguralis, praelectio libri Estherae et quatuor pocula vini (paschatis festo). Jamque loco suo explicavi interprationem legis: *et hereditatem adito*[4]) (secundum quam patres tantum non vero matres cognati hereditatem accipiunt) scriptura ut fultura tantum uti.

---

1) Levit. 23, 10. 2) Levit. 23, 15. 3) Levit. 15, 28. 4) Num. 27, 11.

PORTA SEPTIMA.

Attende ad animadvertendum, omnia mandata, primaria, alia ex re pendentia recordationique destinata, scripta et ore tradita, esse aut jussa aut interdicta aut jussa quorum fundamentum sensusque intimus est interdictum, ut e. g. scriptum est: *Et israëlitae sabbathum custodiunto, ut faciant sabbathum* [1]. Verbum autem hebraicum, a quo vox *sabbath* derivata est, non activitatem, sed cessationem laborum quietemque exprimit, ut scriptum est (eodem verbo): *quievitque Deus die septimo ab omni opere* [2]; verbum vero *faciant* jubet omnia facere ante sabbathum, ne sabbatho opus faciant. Idem est censendum de praecepto: *animas vestras castigatote* [3], qui vetat oblectari animam cibu potuque, nam jejunium est contrarium oblectamenti. Eadem ratione praeceptum: *sanctitati debetis studere sanctique esse* [4] significat: »Ne polluatis animas vestras commedendo fastidiosa generationemque corrumpentia«, et nasiraeus abstinentia vino sanctus fit.

Omne praeceptum ad unam trium rerum est referendum: 1) ad pietatem cordis, 2) ad orem, 3) ad facta. Ac sicuti uni-

1) Exod. 31, 16. 2) Gen. 2, 2. 3) Levit. 23, 27. 4) Levit. 11, 44.

tas est contenta in omni numero, ita principium cujusque pii operis ore vel actione peragendi est pietas intima, qua deficiente omnis cultus est vanus falsusque. Sapientes nostri, quorum memoria benedicta sit, dixerunt: *misericors Deus animum intuetur.* Deus perspicit corda exploratque renes, et scriptum est: *proxima est in ore et in corde vestro, ut ei pareatis*[1]) quae verba ad tria genera praeceptorum spectant: *in ore* nempe perspicuum est, *in corde* pietatem animi indicat, *ut ei pareatis* vero monet, ut pareas praeceptis actionem jubentibus. Sic scriptum est: *Quid a te exigit dominus Deus tuus, nisi ut dominum Deum tuum vereare toto corde totoque animo tuo*[2]), et rex David dixit: *Quis ascendet montem Dei? . . . qui insontibus manibus et puro corde praeditus est*[3]), et: *qui sincere se gerit aequumque facit* et *verum ex animo loquitur, qui lingua sua non detrectat*[4]).

Nunc considera, interdicta non esse oneri illi, qui anima intelligente praeditus est; Deus enim cordi rationem ingignit, cujus ope homo se ab omni malo tueri valet, sicuti medicus qui docet hominem, quae alimenta sibi pro indole sua noceant, nescien-

---

1) Deuter. 30, 14. 2) Deuter. 10, 12. 3) Ps. 24, 2—4. 4) Ps. 15, 2.

tem: »ne commedas, quod tibi interdicturus sum, commedens autem morbum contrahes morierisque«. Certe nemo sane mente gaudens cibo sibi nocituro vesci cupiet; imo hujusmodi cibus erit illi injucundus molestusque, licet illi dictum sit, hunc cibum persuavem esse. Finem coenae suae faciet conservationem vitae, non autem coenam vitae finem more pecorum, quibus non est anima post secretionem a corpore permansura. Nonne vides scriptum esse in pentateucho: *edat terra animantium genera, aqua edat natatiles* [1]; non ita de homine, sed dictum est: *facciamus hominem* ad similitudinem angeli, et sicut angelus vivit in aeternum, ita qui ad ejus similitudinem est creatus. Propter hoc unus scrutatorum ait, poenam quatuor suppliciorum judicialium, exterminationis et (pro quibusdam peccatis) a coelo decretae mortis interictis, remunerationem autem piis operibus constitutam esse. Majores nostri probaverunt, etiam interdicta observanti esse remunerationem e verbis: *ne vescitor, ut tecum bene agatur* [2]; nonnemo tamen putat, hanc remunerationem referendam esse ad verba: *si domino fueritis obsecuti* in fine hujus versus, et alii ad legem superius scriptam: *ne eo vescimini, ad*

---

1) Gen. 1, 24. 20. 26. 2) Deuter. 12, 25.

terram, quasi aquam, eum effunditote, ne asservetur, ne homo eo vescatur; sanguis enim est anima, ut e scientia physiologiae notum est. Et res ita se habet, nam reverentia Dei, quae mandato inhibitivo jubetur, omnia jussa interdictaque comprehendit, ut Moyses post exhortationem ad reverentiam Dei observationem omnium legum mandatorumque commendat, *ut bene agatur,* quod sine discrimine de jussis interdictisque valet. Qui enim reverentia Dei captus transgressionem interdicti ommittit, ille (eatenus) bene se habet (quatenus nulla poena afficitur) et verba: *quo tibi bene sit* [1]) simul ad hanc et ad aeternam vitam spectant; at remuneratio proprie dicta nonnisi pro piis operibus, quibus labor est sustinendus, promissa est. Haec res perinde se habet ac qui medici jussu operam dedit coquendo edulium sibi profuturum, *suam mercedem habet, suumque praesens praemium* [2]). Itaque sensus verborum *quo tibi bene sit* est: ut mercedem accipias, poenamque fugias. Quantopere ergo interest obsequium praebere medico, cui nec commodum nec detrimentum afferre possumus, ut dixit Elihu: *sive delinquas et multa pecces, quid illi facies aut officies?* [3])

---

1) Deuter. 10, 13. 2) Jes. 62, 11. 3) Hiob 35, 7. 6.

Nunc tibi praeclarum mysterium indicaturus sum. Invenimus scriptum: *Cur nos, domine, a viis tuis avertis?* [1] porro: *tu eorum animos retro flexisti* [2] (e quibus dictis apparet non esse liberum arbitrium homini); Moyses contra dixit: *En propono tibi vitam et bonum* [3], porro: *Ex ore supremi malum bonumque non prodit* [4], majoresque nostri dixerunt: *Omnia a Deo emanant, praeter reverentiam Dei.* Considera vero, fructum campi exculti meliorem esse fructu neglectae terrae, terramque ipsam vel pinguem vel siccam esse. Hanc tibi justam comparationem explicabo. Tres sunt vires hominis vitae, quas, si libet, tribus his nominibus designare potes: *Mens, Spiritus, anima.* Anima, quae est vis vegetandi, habet sedem suam in jecore, et omnia animantia plantaeque hujus vis sunt participes, quae natura est corporea et cupidine cibi concubitusque est praedita. Spiritus habet sedem suam in corde; ab illo emanant corporei motus. Reperitur in hominibus et animalibus, est natura corporea, aetherius, et quum exit e corpore, homo moritur. Illa vis interdum crescit iramque parit. Mens est praestantissima illarum virium habetque sedem in cerebro.

1) Jes. 63, 17. 2) Reg. I. 18, 37. 3) Deuter. 30, 15. 4) Lament. 3, 38.

Indoles autem hominum studiaque sunt diversa. In aliis tres illae vires valde vigent, in aliis debiles sunt, in aliis duae illarum per vices vigore gaudent. Ceterum non opus est hac de re amplius disserere; mens enim quaerit in operibus Dei, quid illi saluti sit, anima autem appetit oblectamenta corporis, spiritus vero est media indole. Quia autem cerebrum corde jecoreque indiget, istaque cerebro, omnino unaquaque illarum virium duabus aliis, ideo hebraei mentem quoque spiritum et animam vocant. Omnes illae vires cum corpore conjunctae sunt, homineque cibis utente, qui sanguinem calefaciunt, ira crescit. At conditio corporis spiritu moderatur, et si quis bono temperamento ab alio homine irritatur, verbis vel factis, crescet actio spiritus in statum cordis gignetque calorem in corpore, itaque corpus spiritus actione mutatur. Omnis ergo sapiens reget corpus suum secundum necessitates mentis, ne ea mutationibus corporis mutetur. Atque haec est magna praestantia qua Deus Israëlitas donavit, qui, praecepta Dei observando, non indigent medicis, Deo juvante, ut fecit Asa [1] (qui medicis usus est), et scriptura eum vituperabat. Ac non objici potest jussum *et medicationem prae-*

1) Chron. II. 16, 12.

stato [1]) nam verbum (quo scriptura in hoc loco utitur) non est levis conjugationis formae *Kal* dictae, (quae ad morbos internos est referenda, sed gravioris formae *piel* dictae, qua pro curatione morbòrum externorum utimur) eamdemque habet significationem ut in loco: *et instauravit dirutam domini aram* [2]), non ut in *vulneravi et sanabo* [3]) vel ut in libro Jobi: *vulnerabit manusque suae sanabunt* [4]). Eodem sensu dictum est, Deum copiam coeli omnibus populis impertivisse (qui nempe influentia siderum reguntur) eodemque modo explicanda sunt verba: *Animadvertet dominus in sublimem exercitum in sublimi* [5]) quae pertinent ad eum, qui secundum astròlogiae leges influentiam accipit. At Deus Israëlitas sibi possidendum delegit, eosque a dominatione astrorum pro omni tempore liberavit, quo sub imperio suo permaneant, observando jussa, quae illis in lege sua mandavit, quare prisci affirmabant, nullum astrum regere Israëlitas, et hoc sensu scriptum est: *et ego populusque tuus antecellemus* [6]). Ac non objici potest, difficile esse, Deum coeli leges mutare, nam Noachus testari potest (cui Deus

---

1) Exod. 21, 19. 2) Reg. I. 18, 30. 3) Deuter. 32, 39. 4) 5, 18. 5) Jesai. 24, 21. 6) Exod. 33, 16.

promissit nunquam amplius orbem terrarum diluvio corruptum iri).

At perfecta salus impertitur pro perfecta pietate; non autem convenit in via sapientiae parvi mali vitandi gratia negligere rem maxima ex parte bonam. Est ergo sapienti facultas eligendi bonum aut malum; fata enim nonnisi ex homine accipiente pendent, quapropter scriptum est: *Ceterum inter vos nulli erunt pauperes* [1]), ea conditione nimirum ut omnes aut plerique boni sint, ut pergit scriptura: *si modo ei dicto audientes*... Singulus vero vir bonus, (qui his promissis non fruitur), salutem suam in tempus futurum parat.

Nunc animadverte et agnosce, omnes leges, in pentateucho scriptas vel ore traditas, nec non regulas a majoribus institutas, quamvis pleraeque ad actionem vel ad orem spectent, cordis emendandi caussa latas esse. *Nam omnium mentem perscrutatur dominus omniumque cogitationum conata perspicit* [2]); porro scriptum est: *et mente eorum rectis* [3]). E contrario dicitur: *perversitate mentis machinatur malum* [4]), et alio loco (de homine sordido) *est animo a te alieno;* invidia enim e pravitate cordis emanat, ut e phy-

---

1) Deuter. 15, 4. 2) Chron, I. 28, 9. 3) Ps. 125, 4. 4) Prov. 6, 18. 23, 7.

siologia notum est. Ideo holocaustum totum domino sacrificabatur pro malis cogitationibus mente conceptas, piaculi autem noxaeque sacrificia pro delicto ore vel actione commisso poscebantur, et hoc sensu sumenda est exhortatio: *Circumcidatis praeputium cordis vestri* [1], vocabulum enim, quod verbo *praeputium* reddimus, proprie *tarditas* significat, et elocutio *praeputiatus corpore* [2] eodem sensu est explicanda ut illa: *Pharao est obstinato corde* [3], et *praeputiatus sum labiis* ut *oris tarditate laboro*, et *praeputiata est auris sua* [4] ut *adgrava aures ejus* [5]. Circumcisio autem praeputii carnis erit signum foederis inter hominem creatorem que suum, ne polluat animam suam coitu vitioso, accipietque mercedem fetificando et genus suum propagando, ut scriptum est: *faciam foedus tecum, teque multiplicabo* [6]. Porro scriptum est: *earum fructum per triennium praeputiatum habetote* [7], ubi quoque praeputium fructuum est tarditas ob ubertatem succus, quod etiam notum est e physiologia. Ratio vero hujus mandati est, »ut deprimatis vos ante Deum demittatisque animum, quum castigabit vos

---

1) Deuter. 10, 16. 2) Ezech. 44, 9. 3) Exod. 7, 14. 4, 10. 4) Jerem. 6, 10. 5) Jesai. 6, 10. 6) Gen. 17, 2. 7) Levit. 19, 23.

intelligatisque veritatem auferendo praeputium cordis vestri, neque obstinati sitis animo vestro exemplo Pharaonis et Achasi, qui *temporibus adversis amplius in dominum commisit*« [1]. Achabus autem summisse se gessit et gratus erat in oculis Dei, ideoque scriptum est: *tum deprimetur cor praeputiatum illorum* [2], quae elocutio idem significat ac *in rebus adversis ad dominum Deum tuum redies* [3].

At locutio *duro cervice* est comparatio cum homine, qui indurat cervicem illumque domino suo obvertit, nec ab illo vocatus faciem advertit, quo illum irritat. Propterea post hoc dictum est: *nam dominus Deus vester est Deus deorum* [4] sc. angelorum, *et dominus dominorum* sc. regum, qui sunt domini terrae; ille vero est *Deus magnus, fortis et terribilis;* quomodo ergo (peccans) salvari potes? Nec tibi morem geret dona multa offerenti. Testis est (hoc in loco de officiis cordis sermonem esse), quod ineunte paraschae (capitis) dicitur: *nam populus duro cervice es,* quamobrem *nolite deinceps cervicem vestram indurare* [5].

Primum autem praeceptorum ad officia cordis pertinentium est: *Ego sum dominus*

---

1) Chron. 28, 22. 2) Levit. 26, 41. 3) Deuter. 4, 30. 4) Deut. 10, 17. 5) Deuter. 9, 6.

Deus tuus [1], quod jubet, ut toto animo credat (Israëlita); numen, quod illum ex Aegypto eduxit, summum Deum esse; itaque est praeceptum inhibitivum. Porro: *Amato dominum Deum tuum, eique haereatis* [2], et *alium ut te ipsum diligito* [3]. Praecepta vero prohibitiva (ad officia cordis spectantia) sunt: *Deos alienos nullos habetote* [4] sc. intimo corde, *fratrem tuum animo ne oderis* [5], *ne concupiscito* [6]. Ad praecepta inhibitiva pertinent quoque: *attendite hodie et in memoriam revocate* [7] et: *Audi Israel dominus, Deus noster, dominus unus est.* Ad officia oris pertinent: confessio pontificis (die expiationis) [8], (oratio, quam offerendo primitia pronuntiabant, praescriptaque verbis): *adito itaque dicito, Promissum ut praestes curato*, preces coenatoriae, laudationes *Hallel* dictae, precationes, *vestris natis ea inculcate de eisque loquimini* [9]. Haec praecepta sunt inhibitiva, multaque alia sunt hujus generis. Praeceptaque prohibitiva huc pertinentia sunt: *Domini, Dei tui nomen inaniter ne adhibeto* [10], *Falsum testimonium contra alium ne dicito, Ma-*

---

1) Exod. 20, 9. 2) Deuter. 6, 5 11, 22. 3) Levit. 19, 18. 4) Exod. 20, 3. 5) Levit. 19, 17. 6) Exod. 20, 14. 7) Deuter. 4, 39. 6, 4. 8) Deuter. 26, 5. 23, 24. 9) Deuter. 6, 8. 10) Exod. 20, 7. 13.

gistratui ne maledicito [1], *ne eum exsecrator, Nominis aliorum deorum memoriam ne usurpato, neve in ore habeto, Ne cum eis foedus percutito* [2], *neve in lite de recto in sententiam multitudinis deflectito,* multaque alia.

Praeceptorum de actionibus magna est copia, sed non opus est ea commemorare. Inveni autem versum omnia praecepta comprehedentem: *Dominum, Deum tuum, timeto eique servito* [3]. Verbum *timeto* autem complectitur omnia interdicta ad officia cordis, oris actionesque pertinentia. Est vero hoc infimus gradus quo ascenditur ad Dei cultum, qui observationem omnium praeceptorum inhibitivorum comprehendit. Illaque exercebunt animum hominis eumque instituent, donec adhaereat numini supremo, quod benedictum sit. Ad hoc enim homo creatus est, non ad coacervandas divitias, non ad struenda aedificia aliis relinquenda, ipse sub terra habitaturus, non ut deliciis ciborum permulceatur, nam voluptates pauca tantum momenta permanent, multis conatibus parantur plerumque mala afferunt. Nec non concubitus consumit vires et carnem, hilaritasque ebrietasque sunt stultitia et vesania;

---

1) Exod. 22, 27. 23, 13. 32. 2) Exod. 23, 2. 3) Deuter. 6, 13.

sapiens enim considerabit, vitam suam perbrevem esse, animamque esse in potestate creatoris sui, seque nescire quando Deus illam crepturus sit. Ideo decet illum sedulo inquirere, quid eum movere possit ut Deum diligat, sapientiam perdiscat, fidemque investiget, donec agnoscat et intelligat opera Dei. Non (est sapientis) impendere tempus nugis mundi, sed vitam solitariam degere, discendo et meditando legem Dei observandoque ejus mandata. Tum Deus aperiet illi oculos et mentem, compositumque spiritum in ejus pectore renovabit. Tum erit per vitam suam dilectus creatori suo animaque sua illi adhaerebit et *saturabitur copia gaudiorum ante faciem ejus* [1]; discedente vero animo e corpore *voluptatibus in dextra Dei* perpetuo fruetur. Ideo Asaphus dixit: *Deficiat licet corpus corque meum, mei cordis numen est meaque conditio Deus in perpetuum* [2]. Hanc rationem secutus est patriarcha Jacobus, qui nuncupaverat votum: *dominus erit mihi Deus* [3]; quum enim adveniret *Bethel,* dixit filiis suis: *removete deos peregrinos* [4], reliquit pecora, solitariamque vitam degit, ut coleret Deum. Concubitu quoque se abstinuit, Rahel enim mortua et

---

1) Ps. 16, 11. 2) Ps. 73, 26. 3) Gen. 23, 21. 4) Gen. 35, 2. 22.

Bilhah polluta erat, quapropter etiam matrem Rubeni ancillamque ejus animo repudiavit. Propterea sequente versu scriptum est: *habuit igitur Jacobus duodecim filios* [1], quo indicatur illum deinceps nulla cum foemina concubuisse, itaque non amplius generasse. Qui autem ad illum gradum ascendit, ut memoria Dei operumque mirculorumque ejus nunquam recedant e corde suo, ille etiam ore suo nullum verbum pronuntiabit, quo non Deum in memoriam revocet, ad declarandum hominum generi gloriam ejus. Propter hoc vates in plerisque orationibus suis juraverunt, ut dictum est: *perque nomen ejus juratote* [2]. Tum adnumerandus erit illis, *qui multos justos reddunt.* Animadverte autem legem nonnisi hominibus mente pollentibus traditam esse, quapropter multae res scriptae sensu a literali significatione discrepante explicanda sunt, ut loca illa: *portavi vos alis aquilinis* [3], *circumcidote praeputium cordis vestri*, *aperies manum tuam* [4]. Priscique aiebant, etiam elocutionem: *expandunto vestem* ita esse explicandam (sensum nempe esse: *innocentiam filiae probanto*). Sunt etiam locutiones quae, quamvis et literali sensu vera, tamen et tropi-

1) Gen. 35, 23. 2) Deuter. 6, 13. 3) Exod. 19, 4. 4) Deuter. 10, 16. 15, 8.

cam habent significationem, ut *pomarium Edenis, arbor scientiae, arbor vitalis*, natura *Cheruborum* et similia.

PORTA OCTAVA.

Continuo de lege Dei cogitantem et sana mente praeditum scriptura ipsa magis docebit sapientiaque implebit, quam magistri eum erudiebant doctrinaque instruebant, ut dictum est: *Plus sapio quam mei doctores universi* [1]).

Quam praeclara sunt igitur dicta priscorum, qui jubent observare omnes leges omnesque ritus a majoribus institutos sine inquisitione rationum, quibus leges istae latae sint. Idque jure imperabant, nam multa praecepta sunt mira et obscura, et si quis eas, prin rationes earum cognoverit, observare nollet, sine lege maneret, similisque esset puero, qui pane vesci abnueret, quin prius cognosceret modum arandi, seminandi, messem faciendi, ventilandi, purgandi, molendi, cribrandi, depsendi et coquendi, et

---

1) Ps. 119, 99.

qui sane fame periret. Convenit autem, eum semper pane vesci; adultus vero paulatim percontabitur, donec sapiat responsa ad omnes suas quaestiones. Pari ratione scrutator legis multas explicationes in pentateucho claré expositas eruere poterit. Nonnullae tamen leges vix uni inter mille perspicuae sunt. Ac Moyses magister noster dixit, de omnibus jussis: *haec tanta gens sapiens profecto et prudens est* [1]. Nisi autem omnes leges habeant rationes, quibus vim earum cognoscere valeamus, quomodo praedicarent gentes, eas leges justas, nosque, qui eas observamus, sapientes esse?

Nonnullas legum rationes in pentateucho explicatas commemoraturus sum. Scriptum est: *Consecra mihi omnia primogenita* [2], et postea dicitur: *eam ob rem immolo.* Caussa sabbathi est: *nam sex diebus* [3] etc. Apud annum sabbathicum dimissionemque servorum dicitur: *memento te servum fuisse.* Panis sine fermento cichorearumque usus, et tria festa, tempore maturitatis hordeaceorum, frumenti primitiorum collectionisque frugum, instituta sunt ad Deo benedicto gratias agendas, et scriptum est apud festa: *quisque (donet) pro suae facultatis munere, pro*

1) Deuter. 4, 6. 2) Exod. 13, 2. 5. 3) Exod. 20, 11. 4) Deuter 16, 16.

ratione copiarum, quas cuique dominus Deus vester largitus fuerit [1]), quod significat: *Da illi quae illius sunt,* ut dictum est: *Nam a te sunt omnia, et a te accepta tibi offerimus* [2]). Jubetur: *In tuis finibus ne habitanto* et caussa est *ne te mihi corrumpant* [3]). Alio loco scriptum est: *neminem conservatote ... ne vos doceant etc.* [4]) Porro vetatur cum septem gentibus affinitatem contrahere aut filias illarum filiis locare, et caussa est: *nam pertraherent filium tuum ad impudicitiam* [5]) et alioqui: *filios vestros a domino abducent* [6]). Apud sabbathum dicitur etiam: *ut quiescat bos asinusque tuus* [7]), quippe quibus aras. Caussa jussi: *qui hominis sanguinem fuderit, ipsius invicem sanguis per hominem fundatur* [8]) est: *nam ad Dei imaginem homo factus est.* Item: *Molam superiorem inferioremque ne pingerator, ita enim animam pignoraretur* [9]). (Filiae sacerdotis viduae in domo patris sacro victu vesci ea conditione licet) ut *liberorum sit expers* nempe *ut remigret in domum paternum, sicut ibi a teneris fuerat* [10]). Apud festum tabernaculorum di-

---

1) Deuter. 16, 17. 2) Chron. l. 29, 14. 3) Exod. 23, 33. 4) Deuter. 20, 16. 18. 5) Exod. 34, 16. 6) Deuter. 7, 4. 7) Exod. 23, 12. 8) Gen. 9, 6. 9) Deuter. 24, 6. 10) Levit. 22, 13.

citur: *ut sciant posteri vestri*[1]. Interdicti: *Terra autem ne venditor in perpetuum*[2] est caussa: *nam mea est terra*, et *nam mihi filii Israëlis sunt servi* est caussa interdicti: *non licet eos servili more vendi.* Jubetur super holocaustis tubis clangere, et adjicitur: *ut fiat tui memoria*[3], ut etiam in bello clangitur: *in Palaestinam adoream clangam*[4]. Fimbriae vestium imperantur, *ut recordemini omnium domini praeceptorum*[5] eis semper videndis, eodemque modo sunt explicanda jussa: *haec alligatote, haec inscribitote*[6]. Apud imperium: *Infesta hostiliter Midianitas*[7] duae caussae indicantur: prima propter seductionem ad cultum Phegoris, secunda vero quia adhuc vos malo afficere machinantur ob filiam suorum principis interfectam. Caussa interdicti: *Ab Idumaeo ne abhorreto* est, *quia frater tuus est*[8], et *Ab Aegyptio ne abhorreto, quia peregrinus fuisti in terra ejus.* Vetatur admittere Ammonitas et Moabitas, *quia non vos suppeditabant etc.* immemores pristinae affinitatis, et quia *mercede conducebant Bileamum,* ut te malo afficeret. Commemora-

---

1) Levit. 23, 43. 2) Levit. 25, 23. 42. 3) Num. 10, 10. 4) Ps. 108, 10. 5) Num. 15, 39. 6) Deuter. 6, 8. 9. 7) Num. 25, 17. 8) Deuter. 23, 7—8. 3.

tur caussa ob quam interdictum est regi multas uxores vel multos equos habere, sc. *ne animum suum deflectat* et *ne reducat populum in Aegyptum*. Caussa cur mulieribus nonnisi viris e tribu paterna nubere licet, est: *ut quisque Israëlitarum accipiat haereditatem in haereditate paterna* [1]). Responsum ad quaestionem: *quid velint illa oracula et jura* [2]) est: *servi fuimus Pharaonis et eduxit nos*, nos autem debemus voci illius attendere, qui hoc beneficium nobis praestitit; ceterum *et nobis justitiae erit.* Caussa anni sabbathici est: *ut commedant egeni populi tui* [3]). Levita non habebat partem et haereditatem, quia Deo servit [4]). Jubetur: *Primitia frumenti tui illi (sacerdoti) dato* [5]), quia te praestat, illumque delegit Deus, ut pro te precetur, quod significatur verbis: *et ejus nomine benedicendum* [6]), ut dictum est: *Sustulitque Aharon manus suas* [7]). Tria oppida asylaria secernebantur, *ne sanguinis vindex persequatur* [8]), et ne sanguis innocens fundatur. Malefici suppliciis afficiuntur *ut reliqui audiant, timeantque deinceps ejusmodi facinus suscipere* [9]). Caussa interdicti: *noli*

---

1) Num. 36, 8. 2) Deuter. 6, 20. 21. 25. 3) Exod. 23, 11. 4) Deuter. 10, 9. 5) Deuter. 18, 4. 6) Deuter. 10, 8. 7) Levit. 9, 22. 8) Deuter. 19, 6. 9) Deuter. 19, 20.

arbores corrumpere est quasi homines sint arbores ruris [1]. Jubetur domus lorica munire, *ne sanguine domum tuam impies* [2]. Vetatur vineam miscellaneis conserere, ne tota mixtio stuprosa fiat, secundum interpretationem hispanici R. Menachem. Puella (viro pacta, quae cum alio viro stuprum fecit), interficitur, *quia non clamaverit in oppido,* itaque libenter peccavit [3]; ruri autem compressa non punitur, *nam hoc perinde est, ac si quis alterum adgressu vita privet* in loco, ubi a nemine videtur. Mutuum est pauperi faciendum, *ne eo ad dominum conquerendo des poenas* [4]. Jubetur amare peregrinum, *peregrini enim fuistis* [5]. Vetatur corrumpere judicium peregrini, pupillaris et viduae, vestemque viduae pignerare, nam *memento te servum fuisse . . . quam ob caussam ego vobis hoc praecipio.* Vindemianti vetatur racemare, *ac memineris . . . quamobrem etc.* [6]. Deus jussit Moysem docere carmen Israëlitas, *ut sit testis adversus eos* [7]. Interdictum est vesci sanguine, et caussa est: *ne commedas animam cum sanguine* [8], jussitque sanginem super aram spergere, ut sit anima pro anima, *nam san-*

---

1) Deuter. 20, 19. 2) Deuter. 22, 8. 9. 3) Deuter. 22, 24. 4) Deuter. 15, 9. 5) Deuter. 10, 9. 6) Deuter. 24, 21. 23. 7) Deuter. 31, 19. 8) Deuter. 12, 23.

guine pro anima supplicabitur [1]. Praescripsit Deus Israëlitis adducere victimas suas ad ingressum oracularis tabernaculi, ne sacrificarent sub dio, ut erat iis mos in Aegypto sacrificandi satyris. Caussa, ob quam sanguis paschatis spergendus erat in superliminaria utrosque postes, satis explicata est: *ne sinet exterminatorem domos vestras intrare* [2]. Jamque Moyses Magister noster, quocum pax sit, cum primo veniret ad loquendum cum Pharaone, hac consideratione usus est: *sacrificemus Deo nostro, ne nos peste belllove petat* [3]. Hoc mysterium etiam perspicue indicatum est verbis Chiskiae, sapiensque hoc intelliget [4].

PORTA NONA.

Revela meos oculos, dixit David, *ut videam tuae legis miracula!* [5]

In praecepto: *Hic mensis* (proprie novilunium) *vobis caput mensium* verbo *mensis* dies *moledi* intelligendus est [6], (id est

---

1) Levit. 17, 11. 2) Levit. 17, 5. 3) Exod. 12, 23. 4) Exod. 5, 3. 5) Chron II. 29, 5—10. 6) Ps. 119, 18. 7) Exod. 12, 2.

dies conjunctionis lunae cum sole ante introitum solis in signum arietis) qui dies est vere caput anni, illoque tabernaculum erectum est (quia illo die non solum sol et luna harmonice cooperantur, sed etiam sol in signum intrat, quod sedes honoris sua putatur). Ac decimo (die illius mensis agnus paschalis secernebatur, quia illo) tertia pars (zodiaci jam a luna peragrata est inde a conjunctione ejus cum sole). Haec est illo tempore in sede honoris sua (nempe in signo cancri, quo sua actio est potentissima), ille vero (Mars, qui lunae hostiliter adversatur) videt illam in sede contumeliae suae (quia in signo cancri omnia astra illi contraria sunt). Hanc ab caussam (etiam dies repropitiatorius) est *die decimo hujus* (septimi) *mensis* [1]) (quo sol est in signo staterae, luna autem in signo amphorae, quod marti sedes honoris est, et propter hoc illo die jejunatur). Diei recordantiae significationem jam explicavi. Festo vero paschatis et festo tabernaculorum (i. e. initio horum festorum) sunt in fine et in medio (zodiaci, luna nempe sex signis a sole distat illique adversatur, quod malum celebratione festorum mitigandum est, quam ob caussam illa festa per septem dies celebrantur, donec

---

1) Levit. 23, 24.

luna decrescat, in locumque ubi soli fausta est, intret), quia autem (appropinquatio mutua inter solem et lunam in septimo mense) lentior est, octavo die festum commorationis celebratur. Circumcisio est interdum non plenis septem diebus (post puerum natum), nam momentum minimum diei (post eventum) relictum in computatione legis dies putatur, parique modo dies unus anni interdum pro anno computatur. Significatio diei septimi (prima cujus hora a Saturno regitur) nota est. Similem significationem habent annus sabbathicus et annus jubilis post septem periodos sabbathicas ad libertatem edicendam, ut et apud levitas scriptum est: *quiquagenarii autem ab operationis munere cessanto* [1]. Pascha secundi mensis respondet anno intercalari. Interdictum: *Haedum in lacte matris suae ne coquito* [2] eandem habet rationem ac: *illam et ejus pullum eodem die ne immolatote, matrem cum pullis ne capito* [3], *bove simul et asino ne arato* [4]. Interdicta de stupro cum bestiis, (de castratione animalium) *neve ita in finibus vestris facitote* [5] et *viri ornatum muliere ne ferto, neve muliebrem vestem vir induito* [6], vetant facinora

1) Num. 8, 25. 2) Exod. 23, 19. 3) Levit. 22, 28. 4) Deuter. 22, 6. 10. 5) Levit. 22, 24. 6) Deuter. 22, 5.

fini operum Dei contraria. Ita scriptum est: *Instituta mea servatote* [1], ideoque *e diversis consarcinata veste ne utitor*. Caussa, ob quam leprosi in septem dies excludebantur, est nota, ut ratio legum de mulieribus menstruis laborantibus et de puerperis. Pretia [2] pro hominibus sunt constituta ab aetate unius mensis ad eam aetatem, qua vires ad pristinam debilitatem redeunt. Usque ad quinque annos quinque sicli solvuntur pro numero annorum, de quinque ad viginti annos 20 sicli; de viginti ad sexaginta annos, qua aetate mens et corpus pleno vigore gaudent, 50 sicli pro quinque periodis vitae; a sexagesimo vero anno pretium decrescit 25 siclis. Pro foemina autem paullulum ultra dimidium solvitur, nempe tres, viginti et triginta sicli. Caussa capri emissitii pro Asasele eadem est ac sacrificii pro leproso (vivi enim dimmittebantur ad placandos daemones), quorum mysterium explicatum est verbis sanctorum sapientium nostrorum. Simili caussa explicanda est decollatio juvencae [3], et genii subtilitatisque linguae peritus intelliget caussam restrictionis: *quae nunquam agricolationi adhibita fuerit.*

---

1) Levit. 19, 19. 2) Levit. 27, 1 ff. 3) Deuter. 21, 1—9.

R. Saadiah Gaon dicit, non esse mirum, quod cineres vaccae rufae puros polluant, pollutos vero mundent, melle quoque, pro temperamento corporis vescentis, utilitatem afferente vel nocente. Caussa interdicti quadrupedum immundorum, avium immundarum et reptilium aquaticorum est nota. Interdicitur sacrificare [1]) meretrecis mercedem aut canis pretium, ut signum contemptionis; porro interdicitur sacrificare victimam aliquid vitiosi habentem, aut sacrificari a sacerdote qui habet vitium corporis vel caput calvum, quia quidquid vitiosum extra divinum est ordinem. Praescriptum est servum dimmittendum donis onerare, *ut recorderis te servum fuisse* [2]), Deumque te magnis divitiis oneratum eduxisse. Longa vita est promissa illi qui capiendo pullos matrem dimmittit [3]) non propter amotionem pullorum, quae tantum permissa est. Etiam in praecepto colendi patrem et matrem ea promissio eo sensu est intelligenda, ut parentes, qui te in lucem mundi ediderint, vitam tuam producturi sint, nam verbum *arach* (in forma hiphil) est transitivum. Apud interdicta: *Surdo ne maledicito, coeco impedimentum ne opponito* [4]) dicitur: *et timeas Deum tuum,*

---

1) Deutor. 23, 19. 2) Deuter. 15, 15. 3) Deuter. 22, 6. 4) Levit. 19, 14.

i. e. ne te illis similem reddat. Pari ratione jubetur *faciem* senis colere, ac si illum non times, time Deum te senili tua aetate judicio sistiturum. Scriptum est: Deos alienos nullos ante faciem meam habeto, secundum locutionem: [1]) *Qui dei coelum et terram uon fecerunt etc.* [2]) (i. e. non de veris deis, sed de numinibus fictis esse sermonem). Porro scriptum est: *Vos vidistis me e coelo vobiscum loquentem* [3]), et ut Moyses clare explicavit, *nullam vidistis imaginem*, itaque: *ne praeter me deos aureos facitote;* aut sensus hujus interdicti est: non indigetis praeter me ulla imagine adoranda. Jamque explicavi fabricationem vituli non fuisse idololatriam. Argumentum est quod Aharon indixit festum Jouae in diem posterum [4]), Israëlitaeque obtemperaverunt, ut dictum est: *Igitur postridie fecerunt holocausta,* et nomen *Joua* verum Deum significat, non numen alienum, ut interdum nomen *Elohim.*

Ac Mysterium arcae foederis intelliget doctus e voce e medio duorum cheruborum audita. Facta est in longitudinem duorum cubitorum et dimidii, quia tabula erat quadrata figura aequali longitudine et latitudine, ut impleretur arca, dimidiumque cubiti erat

1) Exod. 20, 3. 2) Jerem. 10, 11. 3) Exod. 20, 19. 4) Exod. 32, 5.

crassitudo duorum parietum conjunctim. Dimidium vero cubiti de altitudine erat pro pedibus ad similitudinem mensae, nam ita scriptum est: *quatuor ejus pedibus* [1]), vocabulum enim hebraicum (*paam*) multis in locis apparet, nullibi vero angulum significat. Argumentum manifestum est locutio: *et duo annuli*, nam secundum opinionem interpretum conjunctio *et* esset ommittenda.

Ara suffitoria collocata erat inter candelabrum et mensam ante siparium, eratque ara utrisque altior. Similemque sensum habent decem lintea. Mysterium undecim strangulorum quoque notum est, ut 28 et 30 cubitorum. Contractura arae aeneae erat in medio altitudinis, et ara vere ita facta est. Mysterium autem ephudi erat valde praeclarum, nam erat in duabus gemmis, quarum una humero dextro et una humero sinistro imposita erat, sex nomina in utraque, erantque ambae onychae sine imagine quod cogitationem indicat, et partes erant 12, ut numerus tribuum Israëlitarum. Monile erat ephudi opere, et quadrata forma in numero quatuor punctorum cardinalium, quam ob caussam nulla lapidum alii lapidi similis erat. Circuli autem annulique inserviebant conjungendo monili cum textura ephudi, quae re-

---

1) Exod. 25, 12.

praesentat orbitam magnam, mediam non inclinatam. Vocabulum *Urim* literali sensu est intelligendum (*illuminationes*). Etiam Thumim erant in numero circuli (i. e. signorum zodiaci), et Moyses illa in monile primum eodem ordine posuit, quo erant die erectionis tabernaculi (creationis mundi), et sapientes intelligent.

PORTA DECIMA.

Quam praeclara est lex Dei nostri, quam fida testimonia, quam referta verba ejus! Ita scriptura loquitur de quatuor statibus diversis hominis: sedere, incedere, cubare, stare, quae verba sunt omnia intransitiva, neve te moretur locutio et *alii eis potientur* [1]) (ubi verbum *schachab* transitivum esse videtur), nam literalis sensus verbi est: *cum illa cubabit*, ut analogice dictum est: *nec malum tecum habitabit* [2]). Sapientes vero nostri distinxerunt in dialecto talmudico inter concubinum et concubinam (inter part. act. et part. pssiv. verbi *schachab*); dialecto scripturae autem uterque *cubans*

---

1) Deuter. 28, 30. 2) Ps. 5, 5.

dicitur. Testis est ille locus: *Heri cum patre meo cubavi* [1]. Interdum quidem vigilantes cubamus, quia autem plerumque dormientes cubamus, scriptura dicit de Jacobo: *et cubavit illo loco* [2], non *et dormivit*, et quia dormiens mortuo est similis, dicitur de Davide moriente: *cubavit* [3]. Sedere autem idem est ac quiescere uno loco, quasi dimidium standi, et stare idem est ac morari, quo sensu dictum est: *permanebit domus* [4]. Incedere est motio ab uno loco in alium; est igitur contrarium sedendi. Cubare est positura in linea horizontali a capite ad pedes; stare contra vel consistere est positura in linea verticali. In libro psalmorum legimus: *non incedit, nec insistit, nec sedet* [5] non autem *nec cubat,* quia cubantes homines plerumque dormiunt, ac in lege scriptum est: *de eis loquimini* [6] nempe mente, quo sensu dictum est: *locutus sum in corde meo* [7], et etiam ore. Jubet autem psalmista hominem, quaecunque sit ejus positura, cogitare de lege, ut scriptum est: *de lege cogitat dies noctesque,* et Salomo exhortando sapientiam quaerere dicit: *ambulantem te ducet, cubantem custodiet, experrectumque*

1) Gen. 19, 24. 2) Gen. 29, 10. 3) Reg. I. 2, 10. 4) Levit. 25, 30. 5) 1, 1—2. 6) Deuter. 6, 7. 7) Eccl. 1, 16.

delectabit, insistas vel sedeas [1]. Finis vero hujus exhortationis est, ut sciat homo, Deum esse unicum, nullumque ens habere existentiam quin ei adhaereat, quam ab caussam jussum est: *Diligito dominum, Deum tuum, omni corde tuo;* si enim permanere desideras per vitam hujus futurique mundi, ama Deum, et in fine hujus libri indicaturus sum tibi hoc Mysterium. Nam fundamentum omnis sapientiae est, Deum solum creatorem esse omnium rerum, partesque universitatis eum cognoscere, quatenus universitatis sunt elementa, nam partes ipsae mutantur. Mens humana sola, quandiu in eo statu remanet, quo a Deo data est, similis est tabulae, cui quidquid inscribi potest. Ac si huic tabulae scriptura divina inscribitur, quae est cognitio rerum comprehensarum in illis, quae a quatuor elementis compositae sunt, orbitarum, solii divinae gloriae, mysterii de sede Dei supremique numinis: tum anima adhaerebit supremo numini, quandiu in corpore remanebit et post secretionem viris suae a corpore, quod est sedes sua. Decet ergo sapientem nihil quaerere in hoc mundo, nisi quod illi in mundo futuro prodesse possit. Nonne vides praecepta

---

1) Prov. 6, 22.

de concubitibus illicitis finiri verbis: *ego sum dominus*, quia vir sanctus, qui de coitu illicito se abstinet, erit e numero illorum, qui supremo numini adhaerent, ut dixit Asaphus: *Mihi vero suavis cum Deo familiaritas est* [1]) et supra: *nam certe perituri sunt, qui a te recedunt*, et David dicit: *Quoniam tu non relinques animam meam sepulcro* (Scheol) [2]) carne mea illuc descendente — nam *Scheol* est sepulcrum infra terram (non orcus), ut dicitur: *sive in sepulcro (scheol) cubem, tu ades* [3]). — Pergit David: *me vitae viam docebis*. Eodem sensu dicit psalmista: *At meam animam vindicabit a sepulcro Deus, nam me adsciscet* [4]). Verba autem *me adsciscet* magnam praestantiam indicant, ut dictum est de Henocho: *nusquam exstitit, nam Deus illum sibi adscivit* [5]), et alio loco: *ad honorem me cooptabis* [6]).

Scriptum est: *hodie et cras eos sanctificato* [7])., quod significat: *abstinete vos a mulieribus*. Ideo qui uxore sua usus est, pollutus est, nec licet illi precari, donec se abluat, et sapientes mischnae commemorant, morem fuisse Israëlitarum secundi

---

1) Ps. 73, 28. 2) Ps. 16, 10. 3) Ps. 139, 8. 4) Ps. 49, 16. 5) Gen. 5, 24. 6) Ps 73, 24. 7) Exod. 19, 10. 15.

templi aetate abluere vestimentum vel corium, in quae vel unica gutta ceciderat. Porro non licet illi (coitu polluto) vesci carne sacra. Gravior est immunditas mulieris mentruis laborantis puerperaeque. Nasiraeus autem sanctus habetur, peractisque diebus abstinentiae ejus, si vinum bibere cupit, holocaustum, piaculum et pacifica sacrificare debet, caputque ejus in ostio oracularis tabernaculi in contumeliam illius raditur, quia decedit a sanctitate sua, deque sua dignitate descendit. Etiam puerpera sacrificare debet agnum anniculum; ruris dominus donare debet munera sacra, primitia, decumas, spicas oblitas, fructum in extremo ruris et placentam. Vineae domino observanda sunt jussa de fructu praeputiato, de sanctitate fructus quarti anni, de primitiis uvarum, de primitiis vini, de decumis, de racemis et derelictis uvis. Praecepta de anno sabbathico et de anno jubilis pertinent ad ruris et ad vineae dominum. Gregem qui possidet, donare debet primitias tonsurae, primogenita pecora et decumas. Qui sacrificiis pacificis vescitur, donare debet pectusculum, femur dextrum, armum, maxillas et omasiam, praeter adipem, et praeterea scriptum est: *quisque pro suae facultatis munere* [1]); ac caussa

1) Deuter. 16, 17.

est, quia decet, quemque largiri pro ratione beneficiorum a Deo acceptorum, hucque spectat praeceptum de apparitione ante Deum (tribus festis). Nec non vita Eliae, divini viri, et Ellissae argumentum praebet, qui nempe reliquerunt mundum Deumque solum coluerunt.

PORTA UNDECIMA.

Nequeo disserere de Mysterio nominis reverendissimi, quin prius paucas considerationes de significatione literarum sacrae linguae declaraverim.

Omnes soni, quibus loquendo utimur, quinque habent origines. Gutture pronuntiantur literae א, ה, ח, ע, palato ק, כ, י, ג, lingua ת, נ, ל, ט, ד, dentibus ץ, ר, ס, ש, ז, labiis ף, מ, ו, ב. Numerus sacrae linguae literarum est 22, quarum quinque duplicem habent formam; corripuerunt enim lineam horizontalem eamque usque ad prolongationem verticalis lineae deflexerunt, quo indicetur vocabulum non alio vocabulo adhaerere. Secundam autem literarum finalium (ם) clausam fecerunt. Dimidium literarum e radicalibus constat; nunquam om-

mittuntur, nunquam adjiciuntur, quamvis interdum duplicantur ut in vocabulis *Jerakrak, checharchoreth, adamdam,* quae reduplicatio, duplicatis secunda et tertia literarum radicalium, infirmationem, prima et secunda autem intensionem significationis indicat, ut in verbis *Jephephith thesagsegi.* Dimidium literarum modo radicales, modo serviles sunt, sive initio, sive fine vocabulorum, signumque mnemonicum earum est *Kaschthil ab hamon* ut nomen meum (*ab hamon* sive pater multitudinis est significatio nominis Abrahami, Castiliaque erat auctoris patria), vel *oth mebin hasechel* (signum intelligentis est judicium). Ac naturae erat consentaneum eligere literas, facile pronuntiabiles pro servilibus, quorum usus est frequentissimus. Prima literarum gutturalium est *ain* quam sequitur *Cheth,* pronuntiatu difficiles ambae, quam ob caussam in linguis praeputiatorum non reperiuntur, tantumque a juvenilibus annis consueti iis uti possunt; quare hebraei literas א et ה pro servilibus elegerunt, eoque fit, ut dimidia pars literarum hujus organi (gutturis) radicales et dimidia serviles sunt. E palatalibus elegerunt eas, quae primae literas gutturales serviles sequuntur, י scilicet et כ. E lingualibus duas, prope dimidium, serviles fecerunt: נ et ת; quia autem quinque literae linguales sunt, et ל facile est pronuntiatu, hanc li-

teram quoque servilem fecerunt, et quia organo in medium collocato pronuntiatur, medium accepit locum inter literas; quia autem lingua hanc literam pronuntiando maxime tollitur, figura ejus omnes alias literarum figuras super eminet. *Lamed* nominatur e verbo *lamed* (piel, docere), quia praecipuus ejus usus est indicare (quum verbis praefigitur) quem ad finem aliquid fiat, estque hoc mysterium praeclarum, unde locutio *dic propter me* [1]). Porro quia dentales literae difficile pronuntiantur et conjunguntur, quatuor earum radicales sunt, et sola litera ש servilis est, idque raro tantum, loco conjunctionis *Ascher*, ut in locis: *cui sic agitur* [2]), *nam quare habear* [3]), *qui quidem caro est* [4]). Literae sibilantes ז, צ et ס autem difficillime pronuntiantur, nec non ר. Argumentum est, quod parvuli hanc literam pronuntiare nequeunt, donec nervi cerebri crescant et firmentur. Hanc ob caussam opus erat, eligere tres literas labiales ב, ו, מ pro servilibus, unamque tantum, quae est פ radicalem fecerunt.

Ac quia litera א inter gutturales facillime pronuntiatur, primnm tenet locum; eamque sequitur litera labialis ב, quae ope organi a

---

1) Gen. 20, 13. 2) Ps. 144, 15. 3) Cant. 1, 7. 4) Gen. 6, 3.

gutture maxime distantis pronuntiatur. Pari ratione labialis litera ו sequitur gutturalem ה et labialis פ gutturalem ע.

Duae primae literae א et ב sunt serviles, quarum una gutturalis una labialis; easque sequuntur duae radicales ג et ד; tum inseruntur iterum duae serviles ה et ו sequentibus duabus radicalibus ז et ח, et quia ט et ח saepe commutantur, illam pro servili litera acceperunt. Tum veniunt י, כ, ל, מ, נ, quae una cum ט seriem sex servilium efficiunt, et post eas sex radicales ס, ע, פ, צ, ק, ר.

Ac quia *aleph* est prima omnium literarum, non fine sed initio verborum servit; *thav* autem servit tam initio quam fine verborum, et quia haec litera in scriptura literae *he* similis est, signum foemininae generis facta est, cujus ope litera muta *he* in literam sensibilem mutatur, e. g. loco *chochmah,* sapientia, *chochmath leb* sapientia cordis, et *he* in verbo *asah,* ille fecit, quae quoque litera muta est, fit *thav* in foem. genere: *asethah,* illa fecit, *banethah,* illa aedificavit. Mirum est, quod *he* verbi *amah* in loco: *ejice hanc ancillam* [1]) interdum

1) Gen. 21, 10.

sensibilis fit, ut in verbis *duae ancillae*[1]). Litera *thav* (*signum*) tenet suum nomen a linea, qua a litera *he* distinguitur.

Nunc locuturus sum de literis syllabas producentibus י, ו, ה, א, quae fundamentum venerabilis Dei nominis constituunt. Primum dicam, literam *aleph* electam esse ad primam personam designandam, qua incipitur, et pro utroque genere usurpari. Litera *he* muta vel signo *mappik* praedita in fine verborum est signum foem. generis. Litera *vav* in fine, vocali *cholem* (o productum) munita est masc. generis signum: *Jado*, manus sua, *raglo*, pes suus. Interdum quoque *schurek* habet (u productum), ut in *Jesobebehu*, *Jebonenehu*, *jizrenhu*, *circumduxit*, *edocuit*, *custodivit eum*[2]). Litera *jod* initio verborum masculini, fine vero foem. generis est signum, e. g. *jaaseh*, *ille faciet*, *dei urei*, *sci et vide*. Nunc observa *aleph* fine verborum semper esse mutam, non ita alias producentes literas י, ו, ה. Non opus est commemorare literas א, ה, ו, י inter se converti et commutari. Praeterea interdum adjiciuntur vel omittuntur, e. g. *Jischai veischai*[3]), *haamon* pro *hahamon*[4]), *Kerenah li mara* pro *marah*[5]),

---

1) Gen. 31, 33. 2) Deuter 32, 10. 3) Chron. I, 2, 13. 4) Jerem. 52, 15. 5) Ruth 1, 20.

velaamasa thomru omisso *aleph* [1]. Interdum sunt scriptae, sed plane non leguntur, ut *aleph* in verbo בריא, ubi radicalis est; interdum adjiciuntur paragogice ut in נקיא, *innocens*, ההלכוא, *qui ibant* אפוא, *ubi*. Interdum supplentur puncto *dagesch* dicto, ut *aleph* in יַשִּׁים [2] et *jod* in אֶצָּרְךָ, אֶצָּק; interdum quoque *he*, ut in גְּנָבַתּוּ, *Ventus illam egit* [3], ילדתו, *quae te amat, illum peperit* [4] et dagesch in *nun* verbi יִשְׁמְרֶנּוּ, *custodiet illum* [5], pro deficiente *he*, ac non opus est diutius hic commorari.

Jam explicavi, quam ob caussam hae literae electae sint, quia nempe radices sunt numerorum. Unitas enim vel *aleph* est principium numerorum, non ipsa numerus; decem vel jod est similis unitati, nam continet unitates et principium indicat decadum. Quinque et sex autem, vel ה et ו sunt numeri rotundi (qui in omnibus suis dignitatibus seipsos regenerant, ut 5, 25, 125 etc. 6, 36, 216 etc.) et medii (inter 1 et 10).

Porro observa, longitudinem esse lineam inter duo puncta; adjecta latitudine duae

---

1) Sam. II. 19, 14. 2) Jerem. 49, 20. 3) Job 21, 18. 4) Ruth 4, 15. 5) Exod. 21, 36.

lineae prodeunt, quae superficiem generant. In corpore vero sunt sex directiones (sursum, deorsum, prorsum, retrorsum, dextrorsum, sinistrorsum), ac totidem sunt lineae in prima litera sic scripta א. Corpus est capax omnium accidentium, ut praeceptum decalogi verbo אנכי incipiens novem alia praecepta comprehendit (ut substantia novem alia praedicamenta). Quia autem corpus in infinitas partes divisibile est, nominaverunt literam ei respondentem *aleph* (e verbo *eleph* mille). Significatio nominis *he* est *indicatio* ut in *hinneh, ecce.* Figura ejus composita este duabus lineis angulum formantibus et alia linea illis quam proxima, quam ob rem *he* est signum foem. gen. in fine verborum ut in *Aberah, ventus praeteriit, Naarah, puella, almanah, vidua.* Litera *vav* habet figuram unci (nomine suo designatum), *unci postium*[1]), et litera ipsa in suo nomine *vav* bis apparet, quia in ejus pronuntiatione labia clauduntur, et quia *he* est signum foem. gen., *vav* pro signo masc. gen. usurpatur, ut in *jischmerehu,* custodiet illum, *jechajehu* conservabit illum, *jirdefehu, persequetur illum;* et propter reduplicationem (literae in ejus nomine) est signum pluralitatis in fine verborum vel pro foem. gen. ut in *asu, fecerunt, tavu, texerunt,* et

---

1) Exod. 27, 10.

initio verborum conjunctionem indicat, ***Reuben vesimeon.*** Ante alias literas labiales mutatur (in pronuntiatione et fit u).

Observa literam *he* initio verborum adjectam duas admittere significationes. Interdum enim indicat rem existentem, *he prostheticum*, interdum autem interrogationem, an aliquid existat, *he mirationis*, et punctationis ope unum ab altero distinguitur. *Jod* initio et fine verborum servit: initio est signum masc. gen. tertiae personae sing. et plural. At quia (proprie numerus ejus) cogitationem repraesentat (nempe decem praedicamenta), unitas autem substantiam, contrariumd esignat ac aleph (tertiam personam, non primam). Fine autem verborum simile est unitati (literae *aleph)* et primam personam masc. vel foem. gen. designat; e. g. *jadi, manus mea, ragli, pes meus,* et quum sensibilis fit, pluralitatem *(jadaj, manus meae);* in statu autem constructo obmutescit *jede naschim, manus mulierum.*

Fundamentum omnium numerorum est decem. Quisque numerus enim, qui 10 superat, partem aut plures partes denarii continet, (e. g. $15 = 10 + \frac{10}{2}$, $17 = 10 + \frac{10}{2} + \frac{10}{5}$), vel renovatur series propter reduplicationem (ut $20 = 2 \cdot 10$) vel propter transitum ab una decade in aliam (ut $70 = 7 \cdot 10$) vel numerus fit duobus modis conjunctis (e. g. $68 = 6 \cdot 10 + \frac{10}{2} + \frac{10}{5} + \frac{1}{8}$).

Porro notum est, ignem et aërem communem habere sphaeram, et idem valet de aqua et terra, quae duae sphaerae, ut strictis argumentis probatum est, octo aliis sphaeris circumdantur (sphaeris septem planetarum et zodiaco); numerus igitur omnium sphaerarum est decem. Hanc ob caussam litera *jod* habet formam lineae rotundae omnia circumdantis, et significatio nominis *jod* est *congregatio* ab eodem verbo (*jadah, congregari*) derivata quo subst. thodah in *chorus secundus, duo chori* [1]). Si (in his sphaeris numerandis) a suprema incipitur, prima fit sancta, decima autem, si ab infima incipitur, quam ob rem simul primogenita et decumae sacra sunt.

Ceterum unitates (numeri ab 1 usque 10) novem sunt, 10 enim est fons numerorum compositorum et 1 non est numerus. Itaque numeri proprie dicti octo sunt, quorum quatuor sunt numeri primi: 2, 3, 5 et 7. Si addis unum, quod est simul radix quadrata, quadratum, radix cubica et cubus, quadrato primi numerorum parium, ($4=2^2$) prodit 5; sin autem addis 1 quadrato primi numerorum imparium ($9=3^2$) prodit 10. Ecce nomen supremum (e duabus literis י = 10 et ה = 5 compositum).

---

1) Nehem. 12, 31. 38.

Si addis 1 quadrato tertii numerorum primorum 5, obtines 26, numerum totius nominis (י = 10, ה = 5, ו = 6, ה = 5) simulque numerum duarum primarum literarum (י et ה sic scriptarum הא, יוד; י = 10, ו = 6, ד = 4, ה = 5, א = 1). Si demum addis 1 quadrato quarti numerorum primorum 7 prodit 50, unde quinquagesimus annus est annus sacri jubilis. Mysterium numeri quinque est, eum esse summam omnium numerorum primorum praecedentium. Numerus divini nominis יה = 15 est summa cujusque seriei trium literarum (novem numeris ab א = 1 usque ט = 9 in quadrato magico ita dispositis):

ד 4	ט 9	ב 2
ג 3	ה 5	ז 7
ח 8	א 1	ו 6

Si computantur omnes numeri usque ad numerum duarum primarum literarum reverendissimi nominis (ab 1 ad 15), obtinetur 120, summa quadratorum quatuor numerorum parium (nam $2^2 + 4^2 + 6^2 + 8^2 = 4 + 16 + 36 + 64 = 120$) in novem numeris, qui nu-


merus 9 se ipsum ut numerus rotundus per multiplicationem regenerat (ut in 18, 27, 36 etc. nam $1+8=9$, $3+6=9$ etc.).

Si addis ad 120 summam omnium unitatum (ab 1 ad 9, quae $= 45$), obtinetur 165, qui numerus etiam prodit si multiplicatur primum dimidium nominis per secundum (יה $= 15$ per וה $= 11$).

Subtrahendo quadratum primae literae a quadrato summae duarum primarum ($10^2 = 100$ a $15^2 = 225$) restat cubus secundae literae ($5^3 = 125$). Subtrahendo quadratum summae duarum primarum a quadrato summae trium primarum literarum ($(10+5)^2 = 225$ a $(10+5+6)^2 = 441$), restat cubus tertiae literae ($6^3 = 216$).


Pergam nunc in explicando mysterio numeri 10.

Notum est, quadratum lateris trianguli aequilateralis circulo inscripti aequale esse quadrato altitudinis trianguli aequilateralis, cujus latus diametro circuli aequale est, quia quadratum altitudinis trianguli aequilateralis $\frac{3}{4}$ quadrati lateris continet.




(Sit latus trianguli aequilateralis ABC $= d$, et altitudo AD $= h$. In triangulo rectangulo ABD erit hypotenusa AB $= d$, latus AD $= h$ et latus BD $= \frac{d}{2}$. Igitur $d^2 = h^2 +$

$\frac{d^2}{4}$, et $h^2 = d^2 - \frac{d^2}{4} = \frac{3d^2}{4}$. Describatur nunc circulus diametro $= d$, et ducantur duae chordae $AB = BD = \frac{d}{2}$. Erit arcus



ABD $= 120^0$ et chorda AD erit latus trianguli equilateralis circulo inscripti. In quadrilatere ACDB omnia latera aequalia sunt inter se, ergo lineae AD et CB se mutuo in partes aequales secant. Si designat m lineam AD, erit in triangulo rectangulo hypotenusa $AC = \frac{d}{2}$, $CO = \frac{d}{4}$ et $AO = \frac{m}{2}$; igitur $\frac{m^2}{4} + \frac{d^2}{16} = \frac{d^2}{4}$; $m^2 + \frac{d^2}{4} = d^2$; $m^2 = d^2 - \frac{d^2}{4} = \frac{3d^2}{4}$).

Porro quadratum chordae (diametro perpendicularis) quae diametrum in duas partes dividit, quarum una est duplum alterius, auctum quadrato sagittae suae aequale est



quadrato diametri. (Dividatur diametrus $AB = d$ in tres partes aequales AC, CD, DB, et ducatur chorda $EF = s$ diametro perpendicularis. Erit $\overline{DF}^2 = AD \times DB$, vel $\frac{s^2}{4} = \frac{2d}{3} \cdot \frac{d}{3} = \frac{2d^2}{9}$; $s^2 = \frac{8d^2}{9}$. Ergo $s^2 +$

$\frac{d^2}{9} = \frac{8d^2}{9} + \frac{d^2}{9} = \frac{9d^2}{9} = d^2$ vel $\overline{EF}^2 + \overline{DB}^2 = \overline{AB}^2$). Pro omni alia relatione inter partes AD et DB haec aequatio non habet locum, sed primum ejus membrum est majus vel minus secundo.

Producatur nunc in circulo, cujus diametrus $= 10$, sagitta BD usque ad $\frac{2}{3}$ diametri (i. e. usque ad C, ducaturque chorda GH et chordae GE, HF, AE, AF). Erit area trianguli AEF, ut area rectanguli GHEF aequalis numero peripheriam circuli enuntianti. (Habemus enim aequationem $\overline{DF}^2 = AD \times DB = \frac{20}{3} \cdot \frac{10}{3} = \frac{200}{9}$, et $DF = \sqrt{\frac{200}{9}} = \frac{10}{3}\sqrt{2}$. Est igitur EF, vel basis trianguli $AEF = \frac{20}{3}\sqrt{2}$. Si multiplicamus hanc basim per dimidium $\frac{10}{3}$ altitudinis AD reperimus pro area trianguli AEF : $\frac{10}{3} \cdot \frac{20}{3} \cdot \sqrt{2} = \frac{200}{9} \cdot \sqrt{2} = \frac{200}{9} \cdot 1,41 = \frac{282}{9} = 31,33$. Rectangulum GHEF habet eandem aream ac triangulum AEF, nam area rectanguli $= EF \cdot GE = EF \cdot CD = \frac{10}{3} \cdot \frac{20}{3} \cdot \sqrt{2} = \frac{200}{9} \cdot \sqrt{2}$. Peripheria tandem $=$

$\frac{22}{7} \cdot 10 = 31, 4 \ldots$). — Sequitur inde quadratum areae trianguli AEF in circulo, cujus diametrus $= 15$, ipsum esse $= 5000$ nec plus nec minus, (nam quadratum dimidii basis DE $= \frac{2\,d}{3} \cdot \frac{d}{3} = \frac{2\,d^2}{9} = \frac{2 \cdot 15^2}{9} = \frac{2 \cdot 225}{9} = \frac{450}{9} = 50$, et quadratum altitudinis $= \frac{2\,d}{3} \cdot \frac{2\,d}{3} = 10 \cdot 10 = 100$; ergo productum quadrati altitudinis multiplicati per quadratum dimidii basis, sive quadratum areae tranguli $= 50 \cdot 100 = 5000$), et quadratum rectificatae peripheriae, cujus diametrus $=$ 10, est $987 + \frac{5}{9} + \frac{8}{81}$ (nam vidimus, talem peripheriam eodem numero exprimi quam triangulum AEF; est igitur $= \frac{200\sqrt{2}}{9}$; ergo quadratum hujus peripheriae $= \frac{40000 \cdot 2}{81} = \frac{80000}{81} = 987 + \frac{53}{81} = 987 + \frac{45}{81} + \frac{8}{81} = 987 + \frac{5}{9} + \frac{8}{81}$). Ac peripheria ipsa quae est radix hujus quadrati $= 31^{\circ}, 25', 36'', 50'''$ (proprie $31 + \frac{25}{60} + \frac{36}{60^2} + \frac{50}{60^3}$, quae fractiones reperiuntur, si in extractione radicis non decimales sed sexagesimales partes quaeruntur). Si computas numeros literarum

nominis (sic scriptarum יוד הי ויו הי) prodit $72 = 20 + 15 + 22 + 15$, quam ob rem antiqui dixerunt, 72 esse numerum nominis enuntiati. — In peripheria autem cujus diametrus < 10, area trianguli AEF est ad peripheriam ut diametrus ad 10. (Nam sit diametrus $= d$, erit triangulum $= DF$.

$$AD = \sqrt{\frac{2d^2}{9}} \cdot \frac{2d}{3} = \frac{d}{3}\sqrt{2} \cdot \frac{2d}{3} = \frac{2d^2}{9}\sqrt{2},$$

ac peripheria cujus diametrus $= 10$, est $= \frac{200}{9} \cdot \sqrt{2}$; ergo diametrus $= 10$ multiplicandus est per $\frac{20}{9} \cdot \sqrt{2}$, et si diametrus $= d$, peripheria $= \frac{20\,d}{9} \cdot \sqrt{2}$. Ergo triangulum est ad peripheriam $= \frac{2d^2}{9} \cdot \sqrt{2} : \frac{20\,d}{9} \cdot \sqrt{2} = d : 10$). Proportio vero ordine inverso est scribenda (secundum usum auctoris), si diametrus > 10.

PORTA DUODECIMA.

Benedictus sit Deus solus supremus, dominus mundi! Selah. Perpetuo habitans et sedens ab aeterno; non mutatur propter au-

mina voluntate ejus existentia, (angelos), quae illi propinqua sunt, nec propter res ad gloriam suam a reverendis numinibus creatas, ut ait Psalmista: *nam imperavit et creata sunt* [1]). Exemplum tibi sint corpora coelestia. Nam sidera sphaerae magnae alias circumdantis (stellae fixae) motu uniformi feruntur, et mensura earum distantiarum mutuarum est perpetuo invariabilis. Necnon motus septem planetarum manet immutatus secundum certas leges in sphaeris earum, sed illarum motus respectu centri terrae mutabilis est; nam nonnullae prorsum procedunt, modo accelerato modo retardato motu; modo quiescunt, modo retrogradiuntur. Etiam distantiae reciprocae illarum infinite mutantur; modo conjunctae, modo disjunctae sunt; modo sine aspectu, modo cum septem aspectibus. Interdum ascendunt et descendunt nempe in maxima minimave distantia a terra; modo in linea (aequatoris), modo in dextra sinistrave parte moventur. Planetae ipsae autem non habent finem, nec pereunt, earumque lumen non evanescet, nec minuetur, nisi per speciem. Luna autem infimum locum tenet, nam lumen ejus mutatur pro ejus distantiis a sole, et praeterea motibus suis eaedem mutationes ac planetis contin-

---

1) 148, 5.

gunt et plures. Ob omnes has et alias res omnia quae in terra gignuntur, metalla, plantae et animalia, mutationibus sunt obnoxia. Accidi enim nequit, nisi semel in millies myriadibus annorum, ut status omnium rerum aequalis fit priori cuidam statui, quam ob caussam scriptum est in libro *Jezirah*, numerum permutationum undecim elementorum tam esse magnum, ut nec os eum enuntiare, nec auris audire valeat (est = 39, 916, 800). Sin autem jam pro numero tam exiguo tot sunt permutationes, quae erit multitudo permutationum pro numero majore maris arena! Quia vero nulla rerum terrestrium permanet praeter hominis animam, non reperies reverendissimum nomen in (prima) cosmogonia, sed nomen *Elohim*, nam creator secundum naturam rerum creatarnm nominatur, ut idiomata nominantur *saphah* (labia) et linguae; et hanc ob caussam sapientes nostri, quorum memoria benedicta sit, dixerunt: *Scriptura pleno nomine pro pleno mundo utitur*, et reverendissimum nomen conjunctum cum nomine *Elohim* usurpatur usque ad Cainum natum. Ac Caino natu, quum viderat Eva, humanum genus permanere, dixit: *Adepta sum virum a Jova* [1]). Ob hanc caussam Moyses co-

1) Gen. 4, 11.

ram Pharaone tantum reverendissimo nomine Jouae, Dei hebraeorum utitur, cujus qui vim in terra accipit, miracula edere potest. Propter hoc non reperies hoc nomen in libro *Koheleth*, quia ille liber nonnisi de sapientia ab Elohim emanante disserit, de vique quam omnes acceperunt, non singulus ut Moyses. Ideo dixit Jithro: *Nunc intelligo Jouam esse omnium Elohim maximum* [1]), nam Joua est Deus omnium Elohim.

Hoc nomen est modo nomen proprium, modo nomen commune. Testis est denomintio *Joua Zebaoth* (ubi nomen joua, *dominus*, determinatur verbo *zebaoth*, exercituum, angelorum vel siderum). Deus etiam *Kisse, solium,* nominatur secundum usitatum loquendi modum, ut scriptum est in libro chronicorum: *Vidi dominum in solio suo sedentem* [2]) et clare dictum est in libro Samuelis [3]) cur arca foederis attributum Dei sit, quia nempe nomen Dei zebaoth in cherubis sedentis illi conceditur, et idem censendum est de nomine אהיה [4]). Hoc modo etiam explicandus est ille locus: *erit solis lux sextuplex ut septem dierum lux* [5]), quia quotidie (per septem dies creationis lux a Deo mundo concessa) aucta est, die septimo

1) Exod. 18, 11. 2) II. 18, 18. 3) I. 4, 4. 4) Exod. 3, 14. 5) Jesai. 30, 26.

autem immutata permansit. (Verba *ut septem dierum lux* sunt mera repetitio sensus verbo *sextuplex* expressi, ut similes repetitiones reperimus illis locis): *et pugnabit cum illo, cum rege septentrionali* [1]; *ex ejus medio existebat quaedam species electri, ex medio ignis.* [2]).

Attende nunc unitatem esse fundamentum omnium numerorum, ipsam autem non esse numerum. Per se ipsam constat, non indiget numeris eam sequentibus. Porro quisque numerus ex aliis numeris est compositus (quod significat unamquamque decem *sephiroth* cabbalisticarum, quarum fons est Deus unicus e qno emanant, omnes alias continere), et omnis numerus duobus suis factoribus idem producit, ac unitas (Deus unicus) uno factore illorum, qui nutu suo existunt. Hanc ob caussam arcanorum periti hominem (i. e. *Adam Kadmon,* vel congregationem decem sephiroth ab ente supremo emanatarum) *microcosmum* nominaverunt, et hoc est mysterium de numine *Metatron* dicto, *principe faciei* (qui in doctrina cabbalistica mediator inter Deum et universum mundum habetur et interdum Dei nomine designatur). Hoc est quoque

1) Dan. 11, 11. 2) Ezech. 1, 4.

arcanum, quod, secundum sapientes nostros, nonnisi hominibus quinque dotibus praeditis revelare licet (vel: hoc est sensus occultus dicti jam commemorati, quod docet, hominem quinque rebus similem esse creatori suo). Propter ea scriptum est in libro *de mensura altitudinis* (vel de magnitudine membrorum, quae Deo sensu allegorico attribuuntur, proprie in libro cabbalistico *rasiel*): R. *Ismael dixit: Qui novit mensuram creatoris confidere potest, se futuri mundi felicitatem assecuturum esse, et ego Akibaque sponsores sumus.* Itaque scrutator Deum unicum eatenus cognoscere potest, quatenus omnia (illi comprehensibilia) Deo adhaerent, non autem secundum omnem ejus excellentiam, nam nulla creatura praedita est vi illam intelligendi, (vel de sephiroth quidem, non autem de numine supremo a cabbalistis nomine *Ensoph* designato homo cognitionem habere potest). Exemplum est solis lux, quae praetervolat hominem nyctalopem, qui faciem praetereuntis solis intueri nequit. Ideo Deus dixit Moysi: *Ego omnia bona mea ante conspectum tuum trajiciam* [1]). Conjunctio cum omni excellentiá Dei similis est intuitioni a facie; cum numinibus autem a

---

1) Exod. 33, 19. 23.

Deo creatis similis est intuitioni a tergo, quo sensu Moysi dictum est: *a tergo me ita videbis.* At haec comparatio cum corpore humano locum habet, quia loquens erat homo *(Adam Kadmon)* et audiens homo.

Qui autem psychologiam didicit, haec numina concipere potest, nam nec corpora, ne corporibus similia sunt; quia autem summum principium simul remotum et propinquum est, hebraei dicunt: *Nam domini pars est ejus populus* [1]; *Deus est mea legitima possessio et mea conditio* [2]. *Pars mea est Deus, dixit anima mea* [3]. Porro scriptum est: *Atqui tuus sunt populus et patrimonium, Deus est ejus patrimonium* [4]. Necnon altera idea (secundum quam non cum Deo conjuncti, sed sub ejus tutela sumus) vera est. Ideo scriptum est: *Benedictus sit Deus numen meum* [5]; porro scriptum est: *Deus meus, meum numen, cui confidam.* Sic quoque scriptum est: *ille est tua laus, Deus laudis meae* [6] et scriptum est: *gratia et arx mea, Deus gratiae meae,* qua propter fundamentum precationis est, ut dicamus: *extollam te, mi Deus rex;*

---

1) Deuter. 32, 9. 2) Ps. 16, 5. 3) Lament. 3, 24. 4) Deuter. 9, 29. 10, 9. 5) Ps. 144, 1. 18, 3. 6) Deuter. 10, 21.

Benedicite Deo vos, angeli ejus; magnificate dominum una mecum! Hoc vero mysterium est argumentum hujus portae. *Haec porta domini est, qua justi ingrediuntur* [1]. Finitus est liber, laus sit Deo solo, qui mirifice clementia sua est usus erga Abrahamum, suum servum!

---

1) Ps. 118, 20.

ADNOTATIONES.

PORTA PRIMA.

1) Amor proximi, qui in pentateucho jubetur, est ejusmodi, ut observatio hujus praecepti e nostra voluntate pendeat; nam praecipue officiis praestandis amor proximi manifestandus est, quod praefixo ל satis declaratur. Ardentissimo autem studio obsequium praestare non possemus, si diceretur «Ama tuum proximum ut cognatos et amicos.»

2) Computationis fastorum judaicorum fundamentum est, conjunctionem solis cum luna (moled) in mensi thischri anni creationis accidisse nocte inter primum et secundum hebdomadis diem hora undecima et $\frac{17}{90}$; sed quo loco terrae tempore conjunctionis haec hora audita sit, antiqui nos docere omisserunt. R. Jizchak Israëli in libro *Jesod olam* conjicit, hunc locum esse aequatoris punctum, cujus longitudo $= 90^{\circ}$.

3) Arcus aequatoris inter Hierosolymam et Londinum habet circiter $37\frac{1}{2}{}^{\circ}$. Igitur sol transit meridianum Hierosolymae $2\frac{1}{2}$ horis ante meridianum Londini. Brevissimus dies, vel brevissimum spatium temporis inter ortum occasumque solis, Londini est 7 et Hierosolymae 10 horarum. Ponamus, quod non multum a veritate aberrat, solem oriri Londini die brevissimo circiter hora $8\frac{1}{2}$, audietur illo die Hierosolymae undecima hora eodem tempore, quo sol Londini oritur. Atqui eodem die tempus antemeridianum Hierosolymae quinque habet horas, itaque hora septima incipit; sequitur inde brevissimi diei initium Hierosolymae anteire initium ejusdem diei Londini circiter quatuor horis. Hujus

explicationis ope alia difficultas in commentariis auctoris nostri solvitur; nam uno loco (Gen. 33, 10) dicit differentiam inter Hierosolymam et Luccam esse 1½ et alio loco (Exod. 12, 2) plus quam 3 horis.

4) A cel. Doctore *Jost* super 49 Midoth R. Nathani sequentem memoratu dignam, ex analectis doctoris Carmoly extractam notitiam, accepi:

Doctus Comtino possidebat tractatum *49 Midoth R. Nathani* inscriptum, opus mathematicum in quinque capita divisum, quae in summa 49 paragraphos continent. Tractatus incipit his verbis:

בארבעה דרכים המדה נקבלת ואשר הם מרובעת
משולשת עגולה קשתה. זה הכלל השנית חצי הראשונה
והרביעית חצי השלישית ושאר כל הצורות משולשות זו מזו.
כיצד לכל אחת המרובעות לשלש פנים בצלע ובחוט ובגג
איזהו צלע זה המחזיק דפנות של גג, רבוע יהיה המונח,
והחוט זה המחזיק לזוית מן הקצה אל הקצה והוא בארכו
של גג והגג בעצמו הוא המשיחה.

5) Pro ועפר lege ומים. It. pro ויחכם l. יחכם.

PORTA SECUNDA.

6) Quaestio a R. Jonah ben Genach (R. Merinus) allata non ad nomina *Raah* et Daah referri potest, quia haec nomina nullibi conjunctim apparent. Referenda est igitur necessario ad nomina *Ajah* et *Dajah*, et textus illo sensu corrigendus erat.

7) Pro ולא ימות l. פן ימות.

PORTA TERTIA.

In fine hujus portae necesse erat scribere מפני שבועתם pro כנגד שבועתם, quia alioqui haec verba sensu intelligibili carerent.

PORTA SEPTIMA.

Pro שיאמי l. שיאמין.

אל מרובע ה"א הוא חשבון כל השם וכן חשבון שני האותיות במבטא וכאשר תחברנו אל מרובע ז' הנה נ' שנת היובל קדש וככה יום חג שבועות. והנה סוד חמשה כולל כל המספרים אשר לפניו והשם היחוד כמספר השלשה אותיות והנה חצי כל השם בחברך כל המספרים אשר לפניו יעלה מאה ועשרים וככה מספר המרובעים בזוגות בתשעת המספרים שהם כחשבון עגול בכופלו וכאשר תחבר האחדים יעלה מאה וששים וחמש וככה יעלה כפלי החצי הראשון על החצי הב' וכאשר תחסר מרובע האות הראשון ממרובע השנים נחברי' אז תמצא מעוקב האות השני וכאשר תחסר מרובע השנים נחברים ממרובע השלשה נחברים אז תמצא מעוקב האות השלישי וסוד העשרה עוד אפרש הנה. ידוע כי מרובע צלע המשולש השוה בתוך העגול כמרובע עמוד המשולש השוה שכל צלע כאלכסון העגול וכאשר הוא מרובע עמוד המשולש השוה שלשת רבעיות מרובע הצלע וכאשר נוציא יתר בשלישית האלכסון יהיה מרובע היתר עם מרובע החץ כמו מרובע אלכסון העגול ובחשבון אחר לא יעלה ככה רק פחות או יתר ובעגול שהוא אלכסונו עשרה בהוציאך החץ אל שתי שלישיות האלכסון אז תמצא שברי המשולש או שברי הצלע המרובע כקו העיגול. — על כן מרובע קו משולש שוה בעגול אלכסונו חמשה עשר חמשה אלפים בלי תוספת או מגרעת ומרובע עיגול שאלכסונו עשרה

הוי"ו בהתחברו עם חבריו . ודע כי הה"א הנוסף בראשונה על שני דרכים דבר נמצא כה"א הדעת או שאלה אם הוא נמצא כה"א התימה ויש ביניהם הפרש בנקוד . והיו"ד ישרת בראשונה ובאחרונה והנה בראשיתו סימן לשון זכר יחיד ורבים שאינם עם המדבר והנה הוא במחשבה על כן הוא הפך אחד ובאחרונה דומה לאחד כי היו"ד סימן המדבר זכר או נקבה ידי רגלי ונראת היו"ד לשון רבים ובסמוך היו"ד נעלם ידי נשים . והחשבון יסודו עשרה כי כל חשבון שהוא אחריו הוא חלק או חלקים ממנו או מתחדש בעבור כפלו או בעבור ממחברת אל אחריו או בהתחבר השני דרכים . ועוד ידוע כי גלגל הרוח והאש אחד גם כן גלגל המים והארץ ומקיפים אותם ח' גלגלים בראיות גמורות והנה הכל עשרה על כן צורת יו"ד כדמות קו עגול שהוא מקיף כל אשר בתוכו ופירושו קהלה מגזרת והתודה השנית שתי תודות. והנה המחל מלמעלה האחד קדש ואם יחל מלמטה מהעומד כנגדו הנה העשירי קדש . על כן היה הבכור והעשירי קדש . והנה מפארת אחרת האחדים תשעה כי עשרה תחלת כלל והאחד אינו מספר והנה השמונה הם המספרים והארבעה ראשונים והם שנים ושלשה וחמשה ושבעה וכאשר תחבר הא' שהוא שרש ומרובע ויסוד ומעוקב אל מרובע ראש חשבון הזוגות יעלה ה"א ואם תחברנו אל מרובע ראש חשבון שאינו זוג יעלה יו"ד והנה השם הנכבד וכאשר תחברנו

נוספים ופעם נגרעים ישי ואישי האמון ההמון קראן לי מרה ולעמשא תומרו וישי נכתב ולא נקרא כמו בריא רק האל״ף עיקרי ויש נוסף כמו נקיא ההלכוא אפוא ויש מבולע בדגש כמו אם לא יַשִּׁים עליהם כהתבלע יו״ד בטרם אֶצָּרְךָ כי אֶצָּק מים גם יש ה״א מתבלע כה״א גְנָבָתוֹ סופה. אשר אהבתך יְלָדַתּוּ וככה יִשְׁמְרֶנּוּ בעליו הדגש לחסרון ה״א ישמרנו ואין צורך להאריך. וכבר הזכרתי למה נבחרו להיותם במספר ראשון כי האחד סבת המספר ואיננו מספר. והעשרה דומה לאחד כי הוא כולל האחדים והוא ראש העשרות. וחמשה וששה חשבון עגול גם שניהם אמצעיות. ודע כי האורך קו בין שתי נקודות והרוחב שני קוים והנה זה שטח. והנה בגוף יש לו שש פאות וככה הקוים בראשית רצוני לומר האל״ף והוא נושא את המקרים כדבור אנכי שהוא נושא כל התשעה והגוף מתחלק לחלקים רבים אין קץ לו על כן קראו שמו א״לף ופירוש ה״א הצורה כמו הנה והיא שני קוים יש לה מקצוע ויש קו אחר קרוב אליו עמו על כן היה הה״א סימן הנקבה באחרונה ורוח עברה נערה אלמנה. והוי״ו כדמות ווי העמודים ונכפל להדביק השפתים ובעבור היות הה״א לנקבה היה זה סימן זכרים ישמרהו ויחייהו ירדפהו ובעבור הדבק היה לשון רבים באחרונ׳ גם נקבות עשו טוו ובראשונה ראובן ושמעון. והשתנה

לשום שלשה אותיות השפה משרתים והניחו אחד שורש והוא הפ"א. ובעבור היות האל"ף הקל בגרון והוא לפני הה"א על כן שמוהו בראש ושמו אחריו אות מהשפה שהוא הרחוק וככה אחר הה"א הוא"ו ואחר העי"ן פ"א. והנה א"ב שנים משרתים וכנגדם ג"ד שרשים מהחיך והלשון ואחר כן ה"ו משרתים וכנגדם ז"ח שרשים ובעבור כי אות ט"ת מתחלף תחת ת"ו חשבוהו כמו משרת ואחריו יכ"למן והנה ששה משרתים ואחריהם ששה שרשים סעפצ"קר ובעבור כי האל"ף תחלת כל האותיות לא ישרת באחרונה רק בראשונה ואות ת"ו ישרת בראשית המלה ובאחריתה ובעבור כי זה האות דומה לה"א במכתב היה הסימן לשון נקבה ושב הה"א הנעלם אות נראה וחכמה חכמת לב. וה"א עשה שגם הוא נעלם שבה ת"ו עשתה בנחת גם יש לתמוה מן ה"א גרש האמה הזאת ששב ה"א נראה שתי האמהות ונקרא ת"ו בעבור הקו הנוסף על הה"א. ועתה אדבר על אותיות המשך שהם יסוד השם הנכבד ואומר כי האל"ף ראויה להיות סימן המדבר המחל והיא כוללת זכר ונקבה. והה"א באחרונה נח גם במפיק סימן לשון נקבה. והו"ו באחרונה עם חולם לזכר ידו רגלו או עם שורק יסובבנהו יבוננהו יצרנהו והיו"ד תחלתו זכר יעשה וסופו לשון נקבה דעי וראי. ודע כי האלף באחרונה לעולם נח נעלם ולא כן חבריו שהם הו"י ואין צורך להזכיר כי אותיות אה"וי מתחלפים ומתהפכים ופעם

שהרחורת ארמדם מרה הכפל לחסרון אם והעי"ן והלמ"ד כפולים · ואם נכפל הפ"א והעי"ן יהיה הכפל ליתרון כמו יפיפית וככה תשגשגי וחצי האותיות פעם שרשים ופעם משרתים בראשית המלה או בסופה וסימנם כשתי"ל א"ב המ"ן כאשר הוא שמי גם א"ות מ"בין ה"שכל. והנכון לבחור הקלים במוצא להיותם משרתים בעבור שיבטאו בהם הרבה והנה בתחלת אותיות הגרון ע' ואחריו ח' ושניהם כבדים על כן לא ימצאו במכתב הערל ולא יוכל לבטא בהם מי שאינו רגיל בנעוריו על כן בחרו העברים האל"ף והה"א. והנה חצי זה המוצא שרש וחציו משרת ובחרו מאותיות החיך הראשונים והם יו"ד גם כ"ף להיותם סמוכים אל הראשונים הנבחרים ובחרו מאותיות הלשון שנים קרובים מחצים והם נו"ן גם ת"ו · ובעבור שהם חמשה והל"מד קל על הלשון שמוהו מהמשרתים ובעבור היותו אמצעי במוצא שמוהו באמצע האותיות. ובעבור גובה הלשון במבטאו שמוהו למעלה על כל האותיות וקראוהו למ"ד מגזרת לימוד כי עקרו לדעת למה היה הדבר והוא הסוד הנכבד ע"כ אמרי לי וחביריו. ובעבור היות אותיות השנים קשות גם התחברם קשה ע"כ שמו הד' שרשים ושמו השי"ן לבדו משרת ושרותו מעט תחת אשר שככה לו שלמה אהיה בשגם הוא. כי זי"ן וצד"י וסמ"ך שהם אותיות השריקה קשים מאוד גם כן אות הרי"ש. והעד הנערים הקטנים שלא יוכלו לבטא בו עד שיתגדלו ויתחזקו חבלי המוח על כן הוצרכו

יביא עולה וחטאת ושלמים. וגלוח שערו פתח אהל מועד דרך בזיון לו בעבור שירחק מקדושתו וירד ממעלתו. גם היולדת תביא כבש בן שנתו ובעל השדה יתן תרומה וראשית ומעשרות ושכחה ופאה וחלה. ובעל הכרם ערלה והילולים ובכורים גם ראשית תירש ומעשרות ועוללות ופרט. והשנה השביעית והיובל כוללת בעל השדה והכרם. ובעל הצאן יתן ראשית הגז ובכור ועשירי ואוכל שלמים שוק וחזה וזרוע ולחיים וקיבה מלבד האמורים וכתיב איש כמתנת ידו והטעם שראוי שיתן כפי מה שנתן לו השם וזהו הראיון וסוף דבר אליהו איש האלהים גם אלישע יוכיחו. והוא שעזבו את העולם ועבדו את ה' לבדו.

השער העשתי עשר לא אוכל לדבר על סוד השם הנכבד עד שאזכיר קצת טעמי אותיות לשון הקודש. כל האותיות שהאדם יבטא בהם מוצאיהם חמשה מקומות. הראשון אותיות הגרון והם אח"הע. והשני החיך והם גי"כק. והשלישי הלשון והם דט"לנת. והרביעי השינים והם זשס"רץ. החמישי השפה והם בו"מף. ואותיות לשון הקודש כ"ב ונכפלו החמשה בעבור שאחוז הקו שיהיה ברוחב והוסיפוהו על הארך להורות שאין המלה סמוכה והשני לכפולים סגרו בסוף. והנה חצי האותיות הם שרשים לעולם לא נגרעים ולא נוספים אע"פ שיכפלו כמו ירקרק

את השם ובסוף הספר ארמוז לך זה הסוד כי הוא יסוד כל חכמה כי השם לבדו בורא הכל ויודע חלקי הכל בדרך כל כי החלקים משתנים תשמרת האדם לבדו כאשר נתנה ה' היא כלוח מוכן לכתוב עליו ובהכתב על זה הלוח מכתב אלהים שהוא דעת הנכללים בנולדים מהארבע השרשים ודעת הגלגלים וכסא הכבוד וסוד המרכבה ודעת עליון אז תהידה הנשמה דבקה בה' הנכבד בעודה באדם וככה בהפרד כחה מעל גויתה שהוא הארמון שלה. והנה אין נכון למשכיל שיבקש לעולם הזה רק מה שיהיה לו טוב לעולם הבא הלא תראה כתוב בדברי העריות אני ה' כי הקדוש המרחיק מעריות אז יהיה מן הדבקים אל השם הנכבד כדברי אסף ואני קרבת אלהים לי טוב ולמעלה כי הנה רחקיך יאבדו. ואמר דוד כי לא תעזוב נפשי לשאול ברדת בשרי שם כי שאול הוא הקבר שהוא בתחתיות הארץ כמו ואציעה שאול הנך ואמר תודיעני אורח חיים וככה אמר המשורר אך אלהים יפדה נפשי מיד שאול כי יקחני ומלת יקחני מעלה גדולה כמו ואיננו כי לקח אותו אלהים. וככה ואחר כבוד תקחני. וכתוב וקדשתם היום והוא אל תגשו אל אשה על כן הוא טמא השוכב עם אשתו ואסור שיתפלל עד שירחץ וככה הזכירו אנשי המשנה שהיה מנהג ישראל בבית שני לרחוץ הבגד או העור שנפלה עליו אפילו טפה אחת ולא יאכל בשר קודש והחמיר הכתוב על הנדה והיולדת. והנזיר קדוש ובהשלימו ימי נזרו וירצה לשוב לשתות יין

השער העשירי מה יקרה תורת אלהינו ומה נאמנו עדותיו ומה נמלצו אמרותיו כי הזכיר הכתוב דרכי האדם ארבעה שהם משתנים שבת ולכת ומשכב וקימה וכלם פעלים עומדים ואל יקשה עליך ישכבנה כי הטעם ישכב אתה כמו לא יגורך רע וחכמינו בלשון התלמוד הפרישו בין שוכב לנשכב ובדרך המקרא שניהם שוכבים והעד הן שכבתי אמש את אבי. והנה השכיבה בהקיץ ובעבור שברוב השינה האדם שוכב אמר הכתוב וישכב במקום ההוא ולא הזכיר ויישן גם הישן דומה למת על כן כתיב וישכב דוד. והנה הישיבה מנוחת האדם במקום אחד וכאלו היא חצי קימה והקימה היא העמידה כמו וקם הבית. והנה ההליכה תנועה ממקום למקום והוא הפך הישיבה והשכיבה כקו נטוי מראשו לרגליו והנה הקימה שהיא העמידה להפך ובספר תהלות לא הלך לא עמד לא ישב ולא הזכיר לא שכב כי ברוב שכיבה האדם ישן ובתורה כתיב ודברת בם בלב כמו דברתי אני אל לבי גם בפה. והנה כל עסקיו על איזה דרך שיתהפך צוה להגות בתורתו וככה כתוב ובתורתו יהגה יומם ולילה. ואמר שלמה לבקש החכמה בהתהלכך תנחה אותך בשכבך תשמור עליך והקיצות היא תשיחך ואתה עומד או יושב. והדברים האלה שידע שהשם אחד ואין היות להווה רק שידבק בו על כן ואהבת את ה׳ אלהיך בכל לבבך. אם רצאהב שתעמוד בחיי העולם הזה גם בעולם הבא. אהוב

תמונה לעבדה וכבר פירשתי מעשה העגל כי לא
היה ע"ז והעד כי חג לה' מחר שאהרן צוה כן
וככה עשו ויהי ממחרת ויעלו עולות וזה ה' הוא
לבדו ואינו כמלת אלהים. וסוד הארון ידעהו המשכיל
מהקול היוצא מבין שני הכרובים ואמתים וחצי ארכו
להיות הלוח רבוע ארכו כרחבו למלא הארון והחצי
בעובי הקורה והנה החצי בקומה עם הרגלים כדרך
השולחן כי כן כתוב על ארבע פעמותיו וזאת המלה
במקומות רבים בלשון הקדש ואיננה זוית והעד
הנאמן ושתי הטבעות כי על דרך המפרשים היה
ראוי להיות שתי הטבעות. ומזבח הקטורת נתון בין
המנורה ובין השולחן מחוץ לפרוכת והמזבח גבוה
משניהם וככה הוא ועשר יריעות. גם עשתי עשרה
ידוע סודם וככה כ"ח גם שלשים ומזבח הנחושת
תחת כרכובו מלמטה עד חציו וככה הוא באמה.
וסוד האפוד נכבד מאד כי היה בשתי האבנים שהם
באפוד ושהם שמאליים גם ימניים ששה שמות בכל
אבן והנה שתיהן אבן שהם והנה אין בה צורה
וזה כנגד המחשבה ואלה החלקים כישרא'. והחשן
כמעשה אפוד והיה רבוע כנגד נקודות הארבע על
כן לא תדמה אבן אל אבן. ודבר המשבצות
והטבעות שיהיה בכל זמן החשן על חשב האפוד
שהוא הקו הגדול התיכון שאיננו נוטה. והאורים
כמשמען גם התומים כחשבון העגל ומשה נתגם
בתחלה על החשן כאשר היו ביום הקים את
המשכן והמשכילים יבינו :

